BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
C
55
NAPOLI

~~IX. P. 33~~

XXIII.
C.
55.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

Digitized by Google


LUDOVICUS ELLIES
DU-PIN
Presbyt. Facult. Theol. Paris.
Doct. et Profess. Regius; natus
Parisiis 17 Junii 1657. Obiit 6. Junii 1719.
J.G.Seiller Schafhus:

LUDOVICI ELLIES DU PIN,

PRESBYTERI FACULTATIS
Theologiæ Pariſienſis Doctoris, ac
Profeſſoris Regii.

TRACTATUS
PHILOSOPHICO-THEOLOGICUS
DE
VERITATE.

Nunc primùm prodit ex Gallico in
Latinum Idioma converſus.
Cum INDICIBUS CAPITUM *&*
MATERIARUM.

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptib. MARCI-MICH. BOUSQUET
& Sociorum.

M. DCC. XXXVII.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

BIBLIOPOLÆ
LECTORI.

ASsertum Parenti ſuo Libellum huncce PRÆFATIONE *Viri docti, qui è carcere eum in lucem, uti ab Auctore prodiit, curavit emitti, cur Latinè nunc exhibeamus loquentem, vix opus eſt dictu. Gratiam enimverò Doctorum omnium, queis familiaris non eſt Lingua Gallica, nos hoc officio ambire intelliget quivis, tam certa ſpes eſt, fore, ut avidè Scriptoris celeberrimi excipiant Lucubrationes argumenti longè momentoſiſſimi, Quibus Philoſophorum, Eccleſiæ Patrum, ac Theolo-*

gorum Sententiæ proferuntur, excutiunturque, pro Viri in omni antiquitate verſatiſſimi eruditione. Eò autem magis acceptum futurum opus meritò cenſemus, quòd paucioribus hactenùs viſum fuerit. Scilicet, ne, quas fatorum ejus rationes attulit Præfationis Auctor, hîc repetamus, ibi legendas, certum eſt Pariſinam Editionem, nemini præterquam Regiis Cenſoribus viſam, eodem ac ſi nunquam facta fuiſſet loco habendam eſſe, nedum ut vulgarem fecerit Librum. Altera verò ad hujus formam expreſſa, parem ferè fortunam ex accidenti experta, latiùs opus non ſparſit, diſtractis dumtaxat Exemplaribus pauciſſimis: ut novum planè dici poſſit eruditis Gallica etiam Lingua. Exteris itaque ignotum prorſus ſit neceſſe eſt. Quod cum cogitaremus, operæ pretium nobis viſum eſt curare, ut eo ipſis uti fruique tandem liceret. Quamobrem in Linguam Doctis communem ut verteretur effecimus, Viro Literato rerum-

rerumque Philoſophicarum & Theologicarum perito, ſtudium hac in re ſuum comiter nobis impertiente. Et ne quid accuratæ Verſioni deeſſet, Rerum Indicem, quo Pariſina Editio carebat, adjecimus noſtræ.

Digitized by Google

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO
EDITORIS.

QUOD Autori ſuo ſimùl & Publico reſtituitur, Opus inſolitæ prorſùs atque ſingularis omninò naturæ Poſthumum eſt. **In** lucem editum, dùm Genitori ſuo vita ſuppeteret, ſed in ipſo ſuæ nativitatis articulo ſuffocatum, poſt annum à morte ſua decimum octavum ad vitam revocatur. Cujus ænigmatis expedire nodum mihi potiſſimùm incumbit & Fætui huic eam aſſerere ſtatûs conditionem, quæ ſiniſtræ opinionis locum nullum relinquat, cùm alioquin ipſe venire poſſem ſubdititii partûs criminis

 arguen-

arguendus, in Tractatu publicando, qui totus eſt in ſeveris adeò legibus de reverentiâ Veritati debitâ conſtituendis; quæ ſecum invicem ſic pugnarent, ut vel etiam inde poſſet neſcio quid peſſimi ominis in ipſummet Opus recidere.

Si Pariſiorum limites nunquàm eſſet Opus iſtud exceſſurum, mihi ſanè locus foret à referendis iis, quæ confirmant ipſius originem, penitùs abſtinendi; Quippè quæ Litteratis Viris, quibus Urbs illa Princeps plurimùm decoratur, prorsùs explorata ſint. Scilicet norunt illi, typis ibidem impreſſum fuiſſe *Tractatum de Veritate Theologicum atque Philoſophicum*, quem Clariſſimus Vir ſapientiſſimuſque Magiſter Du Pin, fato poſtmodùm functus, conſcripſerat, & cui comprobationes acceſſerant duorum Regiorum Cenſorum necnon Sorbonicorum Doctorum, quibus ab illuſtriſſimo

mo Cancellario, Honoratiſſimoque Viro Domino d'Argenson provincia fuerat Manuſcriptorum Autoris Codicum diligenter excutiendorum demandata. Ad illos Cenſores, cùm primùm ſubjectæ prelo fuerant, Chartæ ſingulæ protinùs deferebantur; atque ejuſmodi Chartæ apud eorumdem alterum relictæ, tandem in proprias manus devenerunt. Solâ carent inſcriptione Tituli, eâque de cauſa nec poſſum Typographi nomen indicare, nec annum iſtius editionis, quam tamen poſt exactum annum 1712. confectam fuiſſe certiſſimum eſt. Ejuſdem Editionis prædictæ Chartæ in Opere præſenti ſic expreſſæ ſunt, ut ne verbum quidem unum aut prætermiſſum fuerit, aut ullatenùs immutatum.

Hoc ſanè pluribus eſſet potiſſimùm in votis, ut cauſam addiſcerent, ob quam Opus Approbatione & Privilegio donatum, typiſ-

typiſque poſteà impreſſum, atque Autorem ſibi vindicans tantâ famæ celebritate commendatum, ut vel ex ſolo ipſius Nomine pretii quàm plurimùm acciperet, non tantùm emiſſum nunquàm fuerit, ſed nequidem relatum in aliquem ex Indicibus Operum ejuſdem Excellentiſſimi Viri, qui poſt ipſius mortem evulgati paſſim fuêre. Quo fortuito caſu contigit, ut Editor *Bibliothecæ Autorum Eccleſiaſticorum XVII. Sæculi* in laudibus ejuſdem celebrandis, nullum de laudato Opere verbum ne leviſſimum etiam attigerit? Quorsùm R. P. Niceron, quem profectò latere non potuit quidquid eſt eâ de re Viris quotquot Pariſiorum extant, Litteratis notum, ut aſſeritur, atque pervulgatum, nihil ejuſdem habuit mentionis in ſuis Memorialibus *, in quibus Hiſtoriam tùm Vitæ, tùm Operum Cele-

* Tom. II. p. 25. & ſeqq.

Celeberrimi Du Pin fuſè latèque perſcribit?

Cujus rei cauſam Ipſe non aggrediar ex certis conjecturis innuere, quæ cadere poſſent in quoddam Hominum vel Societatum genus, quibuſcum prudentia jubet agi quàm conſideratiſſimè. Sufficiet iſtud, cujus fides eſt certiſſima, factum allegaviſſe; nempè priùs in Editionem Tractatûs de Veritate fuiſſe manum injectam, quàm ejuſdem Exemplum vel etiam unum diſtractum fuiſſet. Quos juvabit facti rationes ab ipſis rimari radicibus, iis in ipſomet Opere ſatis ſuperque occurret, undè liceat plurima conjecturis augurari; Indèque futurum opinor, ut poſſint & quidem omninò probabiliter ſubodorari; quas ob cauſas ſiluerint Auctores ambo ſuperiùs laudati, quibus expedire nequaquàm viſum eſt, ut Libri qui ſic fuerat ſuppreſ-

ſus, curioſitas cuiquam injiceretur.

Verùm enimverò, quanquàm penitùs lateret quidquid Opus iſtud fortunæ ſubiit, profectò non hæſitaturus eſt quiſquam qui vel etiam aliqua Opera Doctiſſimi Du Pin tantillùm evolverit, ipſum, de quo hîc agitur, eidem tanquàm genuinum ac proprium fætum adſcribere: In eo ſeſe legentibus produnt ſtatim ejus & judicium exquiſitiſſimum, & propria rerum tractandarum methodus, & ſcribendi genus prorsùs idem; Accedit etiam, quòd Autor & *Bibliothecam Autorum Eccleſiaſticorum*, & *Tractatum de Doctrinâ Chriſtianâ*, & quæ legitur in eâ, quam dedit, Optati Editione *Donatiſtarum Hiſtoriam* ipſemet citet tanquàm propria ſua Opera. Denique, quod eſt omni tergiverſatione ſuperius, ſeſe hujus Operis Patrem ipſe Vir Eximius Du Pin agnovit atque decla-

declaravit in alio certo quodam eorum, quæ ſub ejus Nomine palàm evulgantur; Nimirùm in ipſius *Compendiosâ de rebus in Eccleſiâ geſtis Hiſtoriâ.* Scilicèt ibidem hæc leguntur Tom. IV. p. 484. *Ipſe Ego plurima adhùc conſcripſi de variis rerum argumentis Opera, atque non ita pridem Tractatus de Amore Dei; de Excommunicationibus*; & De Veritate; *adeò ut quotquot operam dedi ſcriptis producendis, eadem efficere poſſint Voluminum diverſæ magnitudinis numerum centenarium.* Iſtud autem *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Compendium* anno 1712. pró prima vice typis mandatum eſt.

Poſt ſolemnem adeò verbis conceptiſſimis ſubminiſtratam ab ipſiſſimo Doctiſſimo Viro Domino Du Pin declarationem, ne tenuiſſimus quidem poterat ſcrupulus mihi reſtare, quo deterrerer ab ipſius nomine apponendo ad primam frontem hujus Tractatûs, cujus laudem totumque de-

cus æquitas ipſa poſcebat in eum redundare, quemque, utpotè cæteris ſuis Fratribus nequaquàm imparem, animus certiſſimè præſagit, fore cum iiſdem omnium applauſibus excipiendum.

TRACTATUS THEOLOGICUS ET PHILOSOPHICUS DE VERITATE.

CAPUT I.

De VERITATIS *exiſtentiâ, contra* PHILOSOPHOS ACADEMICOS *&* PYRRHONIOS.

INTER Homines, quotquot ſunt, ne unus quidem occurrit, qui pro ſuo percipiendi modo vera quædam exiſtere non agnoſcat. Attamen quod patet ipſis etiam Imperitioribus atque Idiotis, hoc idem reperias

ab

Digitized by Google

ab aliquibus, qui quondam extiterunt, inſignis notæ Philoſophis adductum in controverſiam : Cujus rei, quanquam non Paradoxum modò ſapiat, ſed etiam videatur Fabulam referre, fides eſt prorsùs indubitata. Verum aliquid eſſe aut poſſe percipi negavêre, non unum dicam aliquem ignoti nominis Philoſophum, ſed plurimæ Scholæ celebratorum Philoſophorum, qui conceptam animis opinionem ejusmodi pro viribus aſſeruerunt, & eandem ſuos edocuerunt Auditores.

Hujus erroris labe conſperguntur primariæ ſeu vetuſtioris Græcorum Philoſophorum Academiæ Principes Socrates & Plato : Sed omininò perperam; Siquidem ambo veritati detegendæ non tantùm ſeſe dederint, ſed & plurima tradiderint tanquàm vera, & nedùm omnia vocaverint in dubium, quin immò propoſuerint certiſſimas veritates. Socrates equidem confeſſus eſt, ſe ſcire nihil, ſed eo potiſſimùm animo, ut retunderet faſtum ac tumorem plurium Sophiſtarum, qui proprias opiniones juſto nimiùm efferebant, & velut ex Tripode de obſcuris vel etiam incertis ſuperbiùs pronuntiabant. Quam Præceptoris ſui methodum ſecutus Plato, ut ſeſe eorum, quæ neſciebat, ignarum apertè profeſſus eſt, ſic pro aris & focis defendit

quæ

quæ noverat, ut certum proponens quod ſibi videbatur certum, & ut probabile aut veriſimile quod exiſtimabat intrà cancellos probabilitatis aut veriſimilitudinis conſiſtere. Prima hæc Academia de eo prorſùs immeritò incuſatur, quaſi dubia omnia habuerit, & affirmaverit omnimodam veritatem longè longiùs à Mortalibus exulare.

Quæ Coryphæum ſibi vindicavit Arceſilaum, Academia ſecunda conſtitutos à priore limites in eo prætergreſſa eſt, quòd Magiſtri ſui veſtigiis inſiſtens propugnaverit, non modò ſciri nihil, ſed ne quidem hoc ipſum affirmari poſſe, quòd nihil ſciretur; Ac tandem abſtinendum ab omni de re quâcumque judicio; Omnia tenebris eſſe circumfuſa, humanæque menti impervia, & proinde nihil omninò eſſe aſſeverandum.

Aliam inivit novi Syſtematis rationem Carneades Cyrenæus: Verum aliquid eſſe fatebatur, ſed negabat, iſtud aliquid percipi poſſe, adeoque inferebat, ab omni penitùs judicio procul eſſe recedendum; *Verè eſſe aliquid non negamus*, aiebat, *percipi autem poſſe negamus*. Cujus Philoſophi ejusque Diſcipulorum ſententiam Cicero ſic exibet: *Non enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur; Sed qui omnibus veris falsa quædam adjuncta eſſe dicamus tantâ ſimilitudine, ut nulla in-* Cicer. Acad. Quæſt. Idem, ibid.

 ſit

ſit certa judicandi & diſcernendi nota. Arceſilaus, licèt nixus ſtrictioribus principiis, non diffitebatur, apparenti veritati præberi poſſe conſenſum.

Ulteriùs progreſſi ſunt Pyrrhonii; Rejectis namque ſuperiorum diſtinctionum ambagibus negabant, ullam dari veritatem, & contendebant, eâdem prorſùs ratione poſſe vel affirmari, vel negari, eandem rem veram eſſe aut falſam, juſtam aut injuſtam ſtatuebant Academici, nihil poſſe nec animo comprehendi, nec decretorio judicio decidi: Addebant Pyrrhonii, nequidem eſſe, undè poſſet dici, nihil aſſeri poſſe.

Quorum Philoſophorum opiniones recenſenti ſubit exclamare, *mentita eſt iniquitas ſibi.* Ecquid enimverò Philoſophi, quorum proprium nomen ſonat veritatis Inquiſitores, ab ipſâ veritatis ignorantiâ faciunt initium! Ab ipſo philoſophandi limine profitentur, nullam in Terris dari veritatem, aut ſi quid exiſtat veri, eſſe humanæ perſpicacitati penitùs impervium! Quod quidem ſyſtema totum innititur incerto futilium argumentationum fundamento, quas facillimum eſſet funditùs evertere; Verùm, ut nihil de Religione dicam, vel ipſâ ſuæ opinionis nudâ expoſitione, generaliſque in animis omnium Hominum informatâ notione veritatis, erroris intolerandi manifeſti deteguntur. Sit

Sit hujus noſtræ diſſertationis Exordium ſola veritatis exiſtentia, de quâ potiſſimùm agere in hoc Capite animo deſtinatum eſt. Entia vel exiſtunt, vel non exiſtunt. Propoſita quæſtio nihil prorſùs habet difficultatis. Exiſtere Entia nullus Hominum negabit; Exiſtunt ergò objecta vera atque realia. Dantur rerum quarumdam, quæ ſub ſenſus omninò non cadunt, claræ diſtinctæque notiones. Alteram hanc propoſitionem quis in dubium vocet? Percipio, judico, diſcurro: me ipſum ſic afficiunt propriæ perceptiones, propria judicia, propriæ concluſiones, ut volenti nolenti conſenſum abripiant; Animus ipſe meus iis totus movetur atque percellitur. Undè quæſo tanta vis, quæ me quaſi invitum etiam cogat, ut cedam, niſi ab ipſâ veritate? Datur ergo veritas una: Veritas in ipſis rebus, veritas in ipſis ideis; Utraque perindè realis ac certiſſima. Deum exiſtere certiſſimum eſt, veritatemque importat, quæ eſt omni omninò cavillatione ſuperior: Certiſſimum quoque eſt, mihi notam eſſe atque exploratam exiſtentiam Dei; Veritas eſt, quæ mecum, ut ità loquar, identificatur, hoc eſt, ſic mihi conſtat de exiſtentiâ Dei, ut ipſa mihi ſit perſuaſiſſima, atque in animo altiſſimè inſculpta.

Aggrediamur Academicos & Pyrrhonios in ipſis argumentorum propugnaculis, quibus amant communem cauſam corroborare. Alii dicunt, nihil nec veri, nec realis exiſtere in totâ rerum Univerſitate. Se ſe-metipſos in conſilium adhibeant; Numquid non exiſtunt ipſi? Nonne quod contendimus ipſi negant, nimirùm unam exiſtere veritatem? Exiſtunt ſcilicet; Conſequenter eos exiſtere verum eſt. Rem totam dirimat teſtimonium ipſorum conſcientiæ, quam judicem appello, & cui ut adverſentur auſim eos provocare. Enimverò velint nolint exiſtunt, neque vel minimum ipſis eâ de re poteſt dubium ſuboriri. Aliundè verò occurrunt plurima eaque propèmodum infinita, quorum nec veritatem, nec exiſtentiam poterunt ullâ ratione inficiari. Quid eis ſupererit perfugii? Arguent nempè, licèt quædam videantur vera, de iis tamen veritatem affirmari nullatenùs poſſe; Agendum equidem eſſe, quaſi reipsà vera ſint, quippè quæ habeant veri ſimilitudinem, ſed cautiùs abſtinendum ab omni, qui poſſit ad eadem pertinere, conſenſu, propterea quòd verum ac falſum adeo conſimilia ſint, ut nullo queant certo diſcerni criterio; Hærendum in bivio quoad iſtud alterutrum, quòd affirmetur, aut negetur, eſſe nihil ex inditâ ſuâ naturâ turpe, juſtum, vel

injuſtum;

injuſtum; Sed ex Legibus Principum, aut ex receptâ conſuetudine pronuntiandum de juſto, vel injuſto. Sic ſeſe habebant iſtorum Philoſophorum Placita, quibus Pyrrhonii pro ſuo, quo pollent, ingenii acumine mirum hoc addebant, ſcilicet ignorare ſeſe, an eſſet vera, necne, iſta quam cauſabantur, animi fluctuatio.

Eſt hoc veritati peculiare, ſic volente Deo Optimo Maximo, quòd adverſarios experiatur nonniſi ridiculos atque imbelles, (neque verò poteſt ab aliis, quàm ab ejuſmodi hominibus impugnari;) Sed ipſi potuiſſent Adverſarii ſibi cautiùs conſulere, cauſæque, cui patrocinantur, ita contegere quod infirmum ineſt, ut ſeſe non dediſſent propriis verbis propriâque confeſſione jugulandos. Dubiam habere veritatem, rerumque externarum exiſtentiam ac proindè ſuam ſummum eſt inſipientiæ. Aſſerere, quanquàm vera dentur, non poſſe tamen ad eorum notitiam perveniri, mendacium eſt intimo conſcientiæ ſenſui repugnans; ſentimus enim ipſi, nobis ineſſe ejuſmodi facultatem. Denique, eò uſque devenire, ut dùm omnia vocantur in dubium, dicatur nequidem poſſe dubium iſtud affirmari, implicat in ipſis verbis manifeſtam repugnantiam.

Prædictis erroribus unum opponere ſufficiet, ut quibus de nullâ veritate con-

ſtat pudor incutiatur, iidemque cogantur ad ſe redire & ejuratâ ſuâ pertinaciâ palinodiam cantare. Nonne cogitatis interrogabo? Sanè cogitamus inquient. Quibus reponam, ergo exiſtitis, quod inficiari non poterunt: Undè inferam, unam igitur dari veritatem, quæ nullâ poſſit eludi tergiverſatione. Deindè rem urgens ulteriùs ſequentia proponam: Numquid animis veſtris non inſunt plurimæ eæque claræ ac diſtinctæ notiones; Exempli cauſâ, nonne perſuaſum vobis eſt, ex duplicato numero binario quaternarium exurgere? Eos iterùm eo loci voco ad inficiationem. En igitur veritates adſunt certæ, quas non poteſtis, quæcumque veſtra ſit in ſeveriori Scepticiſmo pertinacia, non admittere. Aliam aggredior eoſdem impugnandi rationem ductam ex ſenſationibus. Ego vos ictibus percutio repetitis: Negabitis ſentire? Nihil puto. Iſtud ergo vobis incumbit, ut agnoſcatis, exiſtere Entia, quæ dolorem poſſunt vobis commovere; Quod idem futurum eſt, ſi juvet aliquandò ſenſum experiri delectationis. Quodnam igitur quæſo eſt illud, ad quod devenimus extremum? Habere in dubium omnia & pro certo quædam, duo ſunt, quæ medium admittunt nullum; Singularem etenim quæcumque ſit aſſertionem generalis excludit dubitatio.

Quid-

Quidquid effugii tentetur, ad ipſam denique veritatem redeundum eſt, ac tandem aliquandò fatendum, re quidem ipſâ unam exiſtere. Quæ veritas non tantum occurrit in Entibus, quæ ſubſiſtunt, quæque utpotè realia, vera ſunt, ſed in ipſis etiam noſtris perceptionibus, quæ propriæ ſuæ veritatis intimam afferunt animis noſtris probationem.

Si ſic fuiſſet Homo conditus, ut ſua eum natura in errorem ſemper daret præcipitem, neque ullâ poſſet ratione veritatem aſſequi; 1. Deus ipſe (quod nefandum abſit) ſeſe prodidiſſet injuſtitiæ manifeſtum in eo, quòd Homini ſubminiſtraſſet intellectum & voluntatem, quæ eum etſi paſſivè ſeſe habentem, ad falſum & ad malum induxiſſent. 2. Quantum ad aliqua veritas ita clara eſt tantoque fulgore collucet, ut ſeſe volentibus nolentibus ſpontè dedat agnoſcendam. Omnem quantùm juvabit dicendi vim excutias, ut ſuadeas etiam rudiori Ruſtico, ex repetitis duobus quatuor non confici, quidquid ponderis apud eum habeas, ſurdis auribus profectò canes. 3. Hæc veritas non modò perſpecta eſt uni homini, uni cuidam Provinciæ, uni Nationi, neque unius aut alterius Temporis propria, ſed communis omnium Temporum, omnium humani generis Individuorum, omniumque Nationum. Quoad

principia veritatis primitiva conſentiunt cum Europæis Hiroquæus, Tartarus & Sinenſis, veritatemque ſi primâ fronte non apprehendunt, hoc indè venit, quòd vocum, quibus illa ſignificatur, ſint minùs intelligentes.

Extat ergò generalis in iſtâ rerum Univerſitate veritas, quam habent omnes omninò Homines penitùs exploratam: Poſſunt equidem peculiares quædam occurrere, quæ ſint abſtruſiores atque à communi Hominum captu magis remotæ; At vel etiam iſtæ ſeſe ſic produnt attendentibus, ut eorumdem animis altiùs infigant notas evidentiæ ſuæ indubitatas.

Huc uſque cognitionem veritatis attigimus ſub eo tantùm reſpectu, qui propiùs ſpectat ad immediatas animi perceptiones; Attamen pergendum ulteriùs. Vera ſunt, alia quidem humanæ intelligentiæ prorſùs impervia: Alia verò, quæ eidem dubia videntur; Alia denique, quæ etiam falſis aliquando confunduntur. Quantum ad priora, veritas ipſa ſuadet; iiſdem eſſe cedendum; Neque eis fides ob aliam rationem adhibetur, quàm quia certiſſimis argumentis conſtat eſſe vera. Quod pertinet ad dubia, propemodùm infinita ſunt: Sed ſtante dubio, non eſt undè credere neceſſe ſit; Id ſibi ſolummodò proponendum eſt quantùm ad praxim, ut potiſſimùm ſeligantur

gantur ea, quæ certitudini viciniora ſunt atque probabiliora. Si eò uſque in errorem impingitur, ut pro vero falſum accipiatur, hoc vel cognitionis eſt defectus, vel advertentiæ: Si prius, locus poteſt excuſationi ſubeſſe, modò ſit invincibilis ignorantia; Si poſterius, error eſt profectò, quæ culpâ minimè vacat.

Memetipſum ſentio paulò longiùs à propoſito digredi, & ea ſuſcepto de veritatis exiſtentiâ Tractatui connectere, quæ demonſtrant ejuſdem proſequendæ neceſſitatem. Reſecanda igitur materia poſterior, ut ex profeſſò atque juxtà methodum Geometricam de priori diſſeratur.

Axioma I.

Exiſtunt Entia, quâ de re ne minimum quidem poteſt dubium ſuboriri.

Corollarium.

Poteſt ergò de iſtis Entibus illud affirmari, quòd exiſtant.

Axioma II.

Iſtæc Entia ſuis attributis vel proprietatibus donantur, quæ cognoſci poſſunt.

Corollarium.

Poteſt ergò de iſtis Entibus affirmari, quidquid reperitur in eorumdem ideâ contineri, verbi gratiâ, Deum eſſe infinitum, Materiam eſſe extenſam, &c.

Axioma III.

Noſcimus non tantùm Entia exiſtentia pro-

proprietateſque ad eadem pertinentes; ſed præterea nobis ineſt notio generalium quorumdam principiorum, quæ non poſſumus inficias ire, & in quibus idem eſt omnium Hominum conſenſus, exempli cauſâ, ex duplicato binario numero confici quaternarium.

COROLLARIUM.

Dantur ergò veritates, quæ nobis ſolâ Naturâ duce innoteſcunt, quæ noſtris animis inhærent, quæ ſenſibus nullâ ratione ſubjiciuntur, quaſque pro veritatibus non agnoſcere volentes nolentes non poſſumus.

AXIOMA IV.

In eo potiſſimè dubium innititur, quòd aliquid verum non ſit ſatis exploratum, vel quòd duæ opiniones ſic probabiles videantur, ut dignoſci nequeat, utra vera ſit.

COROLLARIUM.

Veritas eſt ſollicitè quærenda; Si reperiri poſſit, ſinu complexuque recipienda; Si verò nequeat detegi, opinio tenenda, quæ videtur tutior, veritatique magis conſentanea.

Nunc ad ea tranſeundum eſt, quæ opponuntur ab Academicis & Pyrrhoniis. Sanè viri ſunt imbelles & rationum momentis prorſùs inanes, qui impugnant veritatem: Ab ipſo, quod faciunt aggrediendæ veritatis exordio, coguntur

unam

unam ſupponere ſibi faventem, aſſerendo nimirùm, nullam dari, quæ perſpecta ſit; Et hoc ingenuè fatentur Academici. At ſubtiliores Pyrrhonii, quoniam futurum cernebant, ut ex unius veritatis admiſſione cæteris eodem jure pateret aditus, neguidem concedebant, id affirmari poſſe, quòd daretur ulla veritas, quæ cognoſceretur. Quorum antiquorum Academicorum Pyrrhoniorumque Syſtema principiis duobus totum innitebatur: Sic ſeſe prius habebat, nihil nimirùm poſſe animo ullatenùs percipi; Sic alterum, tantis ſuffundi tenebris tot etiam erroribus obſcurari veritatem, ut ipſa nullâ ratione poſſet penitùs diſcerni; Quibus ex duobus inferebant, eſſe ſtandum probabili vel veriſimili, eidemque quantùm ad praxim inhærendum.

Hujus utriuſque principii falſitas facili negotio comprobatur. Falſum eſt, animo percipi nihil poſſe. Vera eaque plurima clarè ac diſtinctè tùm cogitatione tùm mente complectimur, & hoc ultrò fatebitur quisquis non cæcutit: Quem enim reperire eſt, qui contendat, poſſe rem eandem eſſe ſimul & non eſſe? Quis inficias ierit, totum eſſe ſuâ parte majus; Ex tribus duobus additis quinque conſici; Ex numero pari cum impare conjuncto nonniſi poſſe ſemper imparem remanere, &c. En vera, quæ non conci-

piuntur

piuntur modò, ſed quæ nec poſſunt nè leviſſimum quidem in dubium adduci; Eſt ergò falſum, animo percipi nihil quidquam poſſe.

Quoad obſcura, quibus Academici veritatem involvi contendebant vel ob tenebras noſtris offuſas mentibus, vel propterea quòd earumdem errores tanta ſimilitudine ſeſe veritati miſceant, ut illa diſcerni nequeat, profectò negari non poteſt, veritates equidem dari, quæ ſpectatâ plurimorum animi tenuitate, reverà ſint obſcuræ, & falſa quædam occurrere, quæ poſſint aliquandò vel cognitionis, vel advertentiæ defectu pro veris accipi: At inficietur nemo, veritates ex alterâ parte reperiri, quæ in ipſos, ſi ſic loqui fas eſt, oculos incurrunt, quæque nullâ ratione poſſunt neque in negantiam, neque vel etiam in dubitationem venire. Illud ſanè negotium ſub manus non ſuccedit ſemper, ut à falſo verum diſtinguatur: Omnis quiſquis Homo eſt in falſum impegit, & eſt errandi periculo obnoxius; At penès unumquemque eſt judicium de iis retinere, quæ nec clara videntur nec diſtincta, ſicut è contrario non poteſt illis aſſenſus denegari, quæ clarè diſtinctèque percipiuntur.

Alterum, quod Sceptici proponunt Argumentum ſic ſe habet, omnes nimirùm perceptiones noſtras ſenſibus inniti; Senſus

ſus eſſe fallaces, neque ullam ineſſe nobis notam certā diſcernendi, nùm nobis incutiant errorem, necne. Quæ propoſitio conflatur ex duabus partibus, quibus propria eſt reſponſio ſeorſùm opponenda. Quod ad priorem partem attinet, falſiſſimum eſt, omnes perceptiones noſtras ex ſenſibus pendere : Ab ipſâ idearum animi evidentiâ, quæ ſenſibus nihil ſubjicitur, cognitionem haurimus veritatum numero plurimarum, quas nullâ ratione ſenſus repræſentant ; Cujus generis ſunt prima principia, rerum eſſentiæ, propria noſtra exiſtentia, unius exiſtentis Dei notio, propoſitiones metaphyſicæ, mathematicæque demonſtrationes, quæ quidem omnes, multæque aliæ perceptiones non aliundè deſumuntur, quàm ex ſolâ noſtrarum idearum evidentiâ. Hæc eſt evidentia, quam habemus regulam omnium de variis Scientiarum objectis judiciorum : Nullius huic evidentiæ opus eſt probationis, quam aliundè neceſſe ſit accerſere ; Sola ſibimetipſi ſufficit, neque ullâ ratione cogitur operæ quidquam vel à ſenſibus, vel ab experientiâ mutuari. Non ope ſenſuum, ſed rei ipſius evidentiâ nobis compertum eſt, ex tribus duobus ſuperadditis confici quinque, partem eſſe toto minorem, repugnare, rem eandem ſimul eſſe & non eſſe, &c. Poſſunt equidem ſenſus id efficere, ut quædam ſentian-

tur

tur vel cognoſcantur; Sed quod pertinet ad veritates generales atque æternas, ita proprii ſunt juris ipſius animi noſtri perceptionum evidentiæ, ut nonniſi eâdem agente omnem evadant aleam dubitationis. Non idem apud omnes ſenſuum eſt uſus, & quot Capita, tot reperias eidem ineſſe tùm extenſionis, tùm intenſionis graduum diverſitates: At verò evidentia eorum eſt omnium communis, qui norunt animum intendere; propria eſt omnium & Temporum & Regionum, uno verbo ſeſe ubique prodit eandem.

Jam veniamus ad alteram argumenti, partem, quam ut Achillæam extollunt Sceptici & undè ſibi plurimùm plaudendi ſumunt occaſionem. Exempla cumulant exemplis, ut probent, ſenſus eſſe aliquandò cauſas erroris occaſionales, atque inter alia ſubjiciunt iſtud, ſcilicet baculum ad dimidiam uſque ſui partem in aquâ demerſum apparere incurvatum; Turrim quadratam, cùm eminùs conſpicitur, videri rotundam, & plurima ejuſdem generis, quæ facilè occurrunt; Indè concludunt, nullam poſſe cognitionem certam ex ſenſibus hauriri. Qui ſic argumentantur ſanè non attendunt, propriam exiſtentiam ex teſtimonio ſenſuum nobis innoteſcere Senſationes in nobis veræ ſunt atque reales, quanquàm contingere poſſit, objecta, quæ repræſentant,

tant, longè longiùs ab eo quod apparet, eſſe diverſa. Mihimetipſi videor ad aliquam diſtantiam lumen videre: Attamen hujus meæ ſenſationis cauſa non alia eſt, quàm oculi mei certa quædam motio, ejuſdemque retinæ concuſſus; Numquid indè futurum eſt, ut ejuſmodi ſenſatio fiat & minùs vera & minùs realis? Si fallimur, erroris culpa non in ſenſus, ſed in noſtram præproperè judicandi pruriginem refundenda eſt: Senſus eo, quo debent, modo nobis objecta repræſentant ratione habitâ circumſtantiarum, in quibus reperiuntur, neque poſſunt ad ſummum eſſe noſtrorum errorum cauſæ niſi tantùm occaſionales, quod vel etiam ſub eo reſpectu non ita frequenter accidit; Spectato namque conſueto rerum curſu, niſi ſubſit aliqua noſtris organis inordinata diſpoſitio, paulò longiùs objecta diſtent, occurrat intermediorum luminis radiorum refractio, aut alia ejuſmodi ſenſuum actioni obſtent, id eſt, impreſſiones immutent, quas à Corporibus externis recipiunt, rerum imagines nobis exhibent perfectiùs, quàm poteſt deſiderari, eoque modo quo eaſdem eſſe proprio nobis conſtat experimento.

Viſus nos efficit certiores, colores & lumen exiſtere, Corporaque lucida vel colorata eſſe viciniora, vel remotiora, majora, vel minora, ad Orientem ſpec-

tare, vel ad Occidentem, atque ita de aliis. Auditus nos admonet ſonorum diverſitates; Odoratus varias renuntiat odorum diſſimilitudines; Guſtus infinita propè ſaporum diſcrimina, & Tactus diverſas tùm Caloris, tùm Frigoris impreſſiones, quæ quidem omnia tutiori longèque perfectiori modo perficiuntur, quàm eo, quo viſus indicat longitudines, latitudines & quas habent inter ſe, proportiones.

En objectio recens excuſa quam nec Academici, nec Sceptici excogitaverant, quæque ad extremum uſque pertingit, quò tendere poſſit dubium etiam pertinaciſſimum. Nihil neque ratio, neque ſenſus mihi quidquam poſſunt conferre ad cognitionem veritatis, ſi is ego ſim, quem eo fine natura formaverit, ut perpetuis deluderer erroribus; Si juviſſet malum aliquem Genium mihi eam ingenii venam infundere, quâ in iis etiam fallerer, quæ clarè diſtinctèque percipio & quæ omnimodam habere mihi videntur veri rationem.

Hîc recurrere locus eſſet ad exiſtentiam Dei qui me ipſum procreavit, qui ut falli nequit ſic nec fallere, cujuſque veracitas conſtituit ejus naturæ proprium &, ut Philoſophi loqui amant, eſſentiale attributum. Equidem ipſius Dei voluntas primaria eſt mearum idearum Cauſa, ejuſque

que veracitatis fundamento nituntur quæ mihi ſunt Divinitùs revelata; At quantùm ad veritates, quæ ſunt ipſâ meridianâ luce clariores, ſola ſufficit evidentia, nec me neceſſarium eſt ad Dei veracitatem attendere, ut mihi ſint perſuaſiſſimæ. Me ſuppono propriæ meæ originis & cujús ſim juris penitùs inſcium: Ignoro, nùm unus Deus exiſtat, necne: Sed me cogitare tandem certiùs novi; Decipiar, non decipiar, cogito & exiſto. Inter plurimas, quæ occurunt animo, cogitationes, quædam reperiuntur mihimet ipſi à naturâ inditæ, claræ atque diſtinctæ; Idque mihi non poteſt ex inani ſuppoſitione, quæ fundamento caret, eſſe omninò dubium. Nihil opus eſt, oraculum poſci divinæ veracitatis, ut mihi ſit compertum, totum eſſe ſuâ parte majus. Imponat malus, qui fingitur genius, quantùm ad alia quæcumque, numquàm eò deveniet, ut in iis fucum faciat, quæ mihi perſpecta ſunt atque penitùs explorata.

Eſt quidem fatendum, plurimùm ponderis ex illâ Dei veracitate derivari, multùmque indè adjici tùm roboris, tùm certitudinis iis, quæ clarè diſtinctèque percipio eſſe vera, quippe qui, cùm ſit Ens optimum & ſapientiſſimum, nullâ ratione potuerit intelligenti Creaturæ parare perpetuas inſidias, neque eandem conti-

B 2 nuis

nuis addicere præſtigiis: Sed iſta etiam non perpendenti ſuprema mihi ratio eſt evidentia, eaque plurimùm ſufficiens, ut intimam animo veritatis afferat perſuaſionem; Ipſi volens nolens cedere cogor, nihilque me movere poteſt quæ proponitur hypotheſis commentitia non adjunctam habens ne leviſſimam quidem umbram probationis.

Obtinet omninò locum hæc evidentia quoad veritates, quæ naturali lumine nobis innoteſcunt: At præter iſtas poſſunt occurrere & reverà quidem occurrunt diverſi generis aliæ, quarum cognitionem naturâ duce non adipiſcimur. Suis limitibus circumſcribuntur intelligentiæ noſtræ, atque adeò non capiunt omnes veritates: Inordinatis animi motibus ſæpè ſæpiùs obſcurantur, aut obruuntur præjudiciis. Deus pro ſummâ, quâ plurimùm inclinatur in Homines, miſericordiâ veritate iiſdem abſconditas ſuâ Revelatione notas effecit: Divini ſui verbi lumine diſpulit tenebras, quibus iis ad veritatis cognitionem iter occludebatur, & reformatis atque recoctis eorum ingeniis & cordibus ad eandem ipſos convertit.

Quo quidem auxilio neceſſe erat, adjuvari Hominem ignorantiâ atque infirmitate circumdatum: In eo etenim, in quo reperitur, præſenti ſtatu, propriis abreptus cupiditatibus & infinitis falſarum

rum opinionum obcæcatus tenebris facilè laberetur in errorem, niſi divinum ei lumen præluceret. Quod auxilium Deus miniſterio Moyſis cæterorumque Prophetarum olim præſtitit tempore Veteris Legis huic Populo, quem ſibi præ aliis Gentibus elegerat, & poſteà confirmavit ſub novo Fœdere per Unigenitum ſuum Jeſum Chriſtum. Quot quantaſque veritates reſeravit, quas Homines vel penitùs ignorabant, vel nullatenùs attendebant? Quo nomine non Myſteria ſolummodò, ſed & Veritates Morales innuere potiſſimùm animo eſt. Ab eo ſumus in Divinis ejus Scripturis edocti, omnem comprimendam eſſe vindictam, Inimicos eſſe diligendos, pro malo bonum eſſe refundendum, &c. Verum equidem eſt, veritatibus ejus generis ineſſe cum naturali Lege convenientiam, & ad eas uſque poſſe ratiocinationis ope perveniri. Sed quis fuiſſet optatum adeò finem aſſecutus? Indomiti animi motus, morum perverſitates pravæque conſuetudinis abuſus Hominum pleroſque dejiciunt in præcipitium, omneſque forſitan peſſumdediſſent, niſi Deus iiſdem auxiliarem dextram porrexiſſet.

Verbo Dei non ex nimiâ credulitate fidem adhibemus. Ducem ſequimur rationem, quâ nobis de duplici veritate certiſſimâ conſtat, Deum ſcilicet, cùm

 ſit

ſit infinitè bonus ac ſummè perfectus; nec poſſe falli nec fallere. Media, quibus perſpectum ſit, an fuerit locutus, conſectaria ſunt Argumentorum, quibus de veritate unius Religionis judicatur. Jamverò tot occurrunt rationum momenta eaque evidentiſſima, quibus demonſtratur veritas Chriſtianæ Religionis, ut nemini, qui ſit ſanæ mentis, dubium eſſe queat, quin eadem Autorem Deum habeat, & ſint veriſſima quæcumque ab eâ proponuntur.

Jam ſuperiùs oſtenſum eſt, ex ſenſibus hauriri quarumdam veritatum cognitionem: Dicendum ſupereſt de Autoritate humanâ, quâ poſſunt facti veritates innoteſcere. Habet & ipſa propriam quoque certitudinem, quanquàm ejuſdem evidentia non niſi in ejus cauſâ reſideat, id eſt in hypotheſi, quâ ſupponitur, eſſe prorſùs impoſſibile, quòd multi paribus animis eâdemque voluntate conſpirent ad fingendum aliquid commentitium, conflandumque eo fine mendacium, ut cæteris fucum faciant. Atque indè eſt potiſſimùm, quòd, niſi quis inſaniat, non poſſit haberi pro dubio, nùm exiſtant una Roma unaque Conſtantinopolis, licèt ejuſmodi veritas neque rationi, neque ſenſibus eorum evidenter perſpecta ſit, qui ſeſe nunquàm in eas Urbes contulerunt.

Neque

Neque verò humanum hoc teſtimonium minori valet & auctoritate & fide, quàm ipſa principia metaphyſica, ſeu Mathematicæ demonſtrationes, cùm Facta nota ſunt atque pervulgata & generalis accedit Teſtium conſenſus eâdem ratione, quâ reperitur in allatis exemplis,

Eundem autoritatis gradum non ſortitur unius aut alterius perſonæ ſpectata integritatis teſtimonium, cui nemo contradicit, quanquàm nec etiam debeant in dubium vocari Facta, quæ teſtificantur, maximè cùm aſſerunt, eorumdem ſeſe fuiſſe teſtes oculatos. Ex ejuſmodi certitudinis moralis fundamento non tantùm ea peraguntur, quæ ſpectant ad commercium vitæ civilis, ſed ipſa etiam Hominum tùm vita, tùm bona dijudicantur; *In ore duorum, vel trium, ſtabit omne verbum.*

Nec etiam omninò rejicienda ſunt quæ ex alienâ fide proferuntur; ſed hærendum in bivio, neque iiſdem anteà credendum eſt, quàm fuerint aut proprio teſtimonio, aut publicâ voce pleniùs comprobata; Non poteſt ex ejus generis autoritate deduci niſi veriſimilititudo, vel probabilitas. Quodcumque teſtimonium humanum adſit, cedere debet evidentiæ, ſeu certitudini, quâ nobiſmet ipſis illud conſtat, quod eidem adverſatur. Impoſſibilitas ſive phyſica, ſive

moralis iis omninò ſuperior eſt, quæ ab Hominibus narrantur. Solius eſt autoritatis divinæ id efficere, ut pro veris accipiamus, quæ aliundè habemus tanquàm impoſſibilia, Illa ſola eſt, quæ poſſit captivare intellectum noſtrum in obſequium fidei, juxtà illud Apoſtoli; *Captivantes omnem intellectum in obſequium fidei.*

Reſtant Hiſtorica Facta, quæ non audimus ex vivâ referentium voce, ſed diſcimus ex Autorum teſtimonio, quod nobis ſcripto transmittitur. Quâ quidem in re tria veniunt omninò perpendenda: 1. Scriptorum autoritas; 2. Nùm ſcripta genuina ſint, an ſpuria, quæ iiſdem adſcribuntur; 3. Utrùm quæ referunt, facta ſic nota fuerint atque pervulgata, ut ex eorumdem ignorantiâ nec ipſi falli potuerint neque nos fallere. Poſtremum iſtud aggrediamur: Occurrit profectò ſapiens nullus, qui negare poſſit, unum olim extitiſſe Cæſarem unumque Alexandrum; Maximam hujus Univerſi partem fuiſſe Romanorum Imperio ſubjectam; Gallias à Francis occupatas. Eſt prorſùs indubitata Factorum iſtorum fides, quoniam erant manifeſta, & ſeſe ridiculum feciſſet ſcriptor, qui eadem auſus eſſet confingere; Adeòque Autor, à quo referuntur, nequivit eſſe Factorum inſcius, quæ tantoperè pervulgabantur, nec proindè de iiſdem nobis ſubdititii quid-

quidquam obtrudere. Narrat Moyſes Iſraelitarum ab Ægyptiacâ Servitute liberationem, tranſitum eorumdem per Mare Rubrum, delapſum è Cælo Manna, innumeraque alia Miracula, quæ fuerunt in Deſertis in ore atque oculis Populi perpetrata; Quæ facta ſi fuiſſet ipſe commentitus, ſeſe propinaſſet univerſæ huic Genti profectò deridendum. Vitam J. C. conſcripſerunt Evangeliſtæ. Quod propriis oculis conſpexerant referunt duo, cæteri duo quod ab incorruptis Teſtibus audierant, nimirùm in Judæâ Regnantibus Auguſto ac Tiberio, fuiſſe diſſeminatas ab Unigenito Dei Filio facto Homine, cui nomen erat Jesus-Christus, magnas egregiaſque veritates, quas ipſi faciunt iis omnibus notas, qui ſunt earundem diſcendarum cupidi: Quæ palam edidit, miracula ſimpliciter commemorant; Eundem à Judæis crucifixum non diſſimulant; Teſtes ſunt ipſius & Reſurrectionis & Aſcenſionis. Duodecim Homines nec ejus acuminis ingenii, quo ejuſmodi Facta conflarent, nec ejus autoritatis atque ponderis, ut eadem ſuaderent, iſtas annuntiant non in ipſâ tantùm Judæâ, ſed ubique Terrarum veritates; Seſe præſtant etiam ad effuſionem uſque proprii ſanguinis earumdem propugnatores acerrimos, ne quidem eorum uno neque ſibi, neque

aliis injiciente conſpirati mandacii exprobationem; Trahunt in ſuam ſententiam ingentem Hominum multitudinem; Iſti Homines vocantur Chriſtiani, & iſti Chriſtiani ſemper ſteterunt. Nihil in materiâ Factorum Hiſtoricorum deſiderari poteſt quidquam, quod ſit certius, firmioribus confirmatum argumentis, & inconcuſſioribus fundamentis innixum. Si nihil niſi commentitium habuiſſet eorum Hiſtoria, numquid eos falſi non ſtatim arguiſſent Judæi, qui ſic eis oppoſuiſſent, Chriſtum iſtum nos nec vidimus, nec audivimus: De miraculis ejus nec viſus nec auditus renuntiavêre nobis quidquam; Nuſquàm eò devenimus injuſtitiæ, ut morti addiceremus innocentem. Neque verò faciliorem adhibuiſſent fidem cæteræ Nationes, niſi conſtitiſſet eis de veritate Hiſtoriæ J. C. ſaltem quoad graviora capita, eandemque Apoſtoli confirmaviſſent. Exiſtentia perpetua nec interrupta unius Chriſtianorum Sectæ, quæ propria Doctrinæ ſuæ Dogmata vindicavit ſemper atque toto pectore defendit, argumentum eſt invictiſſimum, unum extitiſſe in Judæâ J. C. quo tempore refertur ab Evangeliſtis, & veriſſima eſſe quæcumque de eodem ab iis enarrantur, quemadmodùm ex Sectis diverſorum Philoſophorum, quæ exiſtunt, earumdem innoteſcunt tùm

tùm opinionum Placita, tùm Autores.

Me mei non pœnitet fuſioris in re tanti momenti ſermonis, qui plurimùm eò conducit, ut aperta fiat aberratio, ne dicam inſaniam Impiorum, Irreligioſorum, Judæorum, & omnium generatim quotquot ſunt, Chriſtianæ Religionis Adverſariorum. Cætera quæ ſuperſunt, in animo eſt paucioribus verbis comprehendere.

In eo quod pertinet ad Hiſtorica Facta, primum potiſſimumque certitudinis gradum obtinet Scriptorum autoritas, qui ea produnt, vel quorum fuerunt oculati Teſtes, vel quibus ipſimet ex aliquâ parte fuerunt immiſti: Quod tamen extendendum non eſt ad ſingula rerum adjuncta, ſecretiores animi motus, atque deſcriptiones, quibus ſibi proponunt Reges, Principes & alios quoſlibet propriis reddere coloribus; Contigit enim ſæpè ſæpiùs, veritatem ex odio, adulatione atque invidiâ vel totam fuiſſe ſilentio ſuppreſſam, vel in plurimis adulteratam. Eſt autem ab iis maximè cavendum, qui fuêre partium aliquarum ſtudio abrepti, quique res geſtas non alio animo literis quandòque mandant, quàm ut propriam commendent cauſam, ſtudiaque ſua & præjudicatas animi opiniones Poſteris transferant. Accedit ſecundo loco eorum autoritas, qui Factis Hiſtoricis

cis coævi fuerunt, & quibus potuêre quæ referunt eſſe perſpectiſſima; Quo quidem in caſu ſunt eadem præcavenda, quæ monuimus in præcedente. Tertium autoritatis ac ponderis gradum efficiunt qui Rerum geſtarum temporibus paulò poſteriores potuerunt vel cum iis habere ſermonem qui ejuſdem erant ætatis, vel quæ narrant ex traditione certiſſimâ accipere. Quorum teſtimonium licèt ſit certitudine ſuperioribus impar, æquitate reperitur aliquandò longè longiùs præſtare. Hîc liceat ob oculos illud ponere, quod Tacitus ait, ſcilicet, ab Hiſtoricorum pleriſque, qui florentibus adhuc Principibus ſcripſerunt, plurima falſa fuiſſe vel ob metum, vel ex aſſentandi libidine producta, iis autem, qui paulò poſt eorumdem interitum, rerum Hiſtoriæ condendæ vacarunt, excidiſſe multa publicis, quibus viventes laboraverant, odiis compoſita. Sic loquitur laudatus Scriptor; *Tiberii, Caiique, & Claudii ac Neronis res, florentibus ipſis, ob metum falſæ, poſtquàm occiderant, recentibus odiis compoſitæ ſunt. Veritas infracta libidine aſſentandi, aut rursùs odio apud Dominantes: ſed ambitionem Scriptoris facilè adverteris; Obtrectatio & livor pronis auribus audiuntur, quippè adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.* Affirmat deindè Vir Celeberrimus,

Annal. l. 1.

berrimus, ſeſe ſic in eo rerum ſtatu reperiri, ut ſit ab utrâque ſcribendi ſcopuloſâ prurigine quàm remotiſſimus, quippè, inquit, *mihi Galba, Otho & Vitellius nec beneficio, nec injuriâ cogniti,* profiteturque, ſiquidem procul ſit ab omni de iis conqueſtu, futurum, ut conſcribat Caii, Claudiique ac *Tiberii principatum & cætera ſine irâ & ſtudio, quorum,* ait, *cauſas procul habeo.* **Hiſt. l. 1.** **Annal. l. 1.**

Obſervat Cicero, Scriptori Factorum Hiſtoricorum occurere duo potiſſimùm advertenda: 1. *Ne quid falſi audeat;* 2. *Ne quid veri non audeat.* Raró fit, ut Scriptores coævi, vel qui rerum eventibus proximè ſuccedunt, ſuas Hiſtorias falſis aſpergant, maximè cùm Facta percrebreſcunt atque pervulgantur; Eos etenim mendacii publica vox protinùs argueret. Sed occurunt, qui vel ex præviâ quâdam opinione, adulandique animo, vel ex ignoratione poſſunt de Factis, quæ ſunt etiam graviora, ſilere, quâ quidem in re quod fidi Scriptoris eſt officio prorſùs deſunt. At quoad publica Facta, quæ commemorant, ſi in eadem ſit unus du orum vel trium ejuſdem temporis Hiſtoricorum conſenſus, aut vel etiam ab uno juratiſſimo locupletiſſimoque referantur, nullum poteſt de veritate ipſius eventûs dubium ſuboriri, quanquàm ſupereſſe queat aliquid

circà

circà circumſtantias, quod ſit ad fidem aliquatenùs difficile. Quiſnam eſt mentis compos, qui poſſit habere pro dubio geſta in Galliis à Cæſare bella, bellumque civile inter eum & Pompeium, prout ab ipſomet Cæſare narrantur in ejus Commentariis? Indè inferre eſt, dari veritates hiſtorica, quæ ſint omninò certiſſimæ, quaſqu nequeat ſapiens ullus in dubium revocare. Conſtituuntur in quarto gradu Scriptores, qui licèt ab ipſis rerum geſtarum temporibus remoti, ex ſelectis locupletiſſimiſque Commentariis, qui ad eos uſque pervenerunt & poſteà defecerunt, condunt Hiſtoriam: Nollem ipſe dubitare de iis, quæ ab Autoribus ejuſmodi fuêre conſcripta; Sed quoad ejus generis Anecdocta non raró ſubeſt locus diffidentiæ, mrximè cùm nihil præ ſe ferunt Hiſtoriæ Veteres, quod Factis conveniat, quæ allegantur. Quinto loco Poëtæ veniunt, qui Facta ut ornarent, vera miſcuêre fictis, qualia ſunt Homeri Virgiliique Poëmata; In ejuſmodi legendis operibus continua adhibenda cautio eſt, ut quæ ſunt hiſtorica ab iis ſecernantur, quæ fabuloſa ſunt. Obſidium Trojæ &, quidquid aliqui ſentiant in contrarium, ipſius Æneæ in Italiam adventus nemini poſſunt afferre dubitationem: Eſt in confeſſo apud omnes, obſeſſam fuiſſe Trojam, unumque extitiſſe

extitiſſe Agamemnonem, unum Achillem, unum Uliſſem, unum Ajacem; Iſtæc nomina nuſquàm fuerunt ab Homero conficta, nec ipſa Græcorum claſſis variis conſtans ex Nationibus unum eſt ejuſdem Homeri commentitium. At verò iſtorum, qui velut Heroes exhibentur, eventus mirifici factaque egregia magnam injiciunt falſi ſuſpicionem & plæraque meræ fabulæ ſunt. Nihil eò loci mentionis eſt de fabuloſis iſtis narrationibus, quæ gallicè dicuntur *Romans*, & quibus ejuſmodi venenum inſitum eſt, quod excogitari potuit unquàm veritati magis pernicioſum: Indignum ſanè eſt, Homines Hominibus ut imponant, ex profeſſò ſeſe torquere, iisdem inſidias diſponere, atque dictum iſtud inſuſurrare, *Expedit vobis, ut fallamini.* Ejuſmodi verò Narrationum lectio multò magis infeſtior eſt, quibus inſcribuntur vera nomina, quanquàm aliundè meræ fabulæ ſint. Nihil addam neque de jacturâ temporis, quod in iiſdem evolvendis inſumitur, neque de corruptelâ morum, quam certiſſimè ut plurimùm inducunt.

Quibus fabuloſis Narrationibus, ſi contagionem excipias, quam moribus inferunt, eodem prorſùs jure poſſunt annumerari pleræque falſarum atque de induſtriâ excogitatarum Legendarum; Fabularum, etenim ſpiritualium rationem omninò

ninò habent, quas quidem adinvenêre animo non malo ad id potiſſimùm adducti, ut Fidelibus præberent exempla pietatis; Sed nec ſinit unquàm ulla quæcumque poſſit eſſe cauſa, parari aliis erroris occaſionem. Satis ſuperque ſuppetere debent Actus antiquorum Martyrum, Hiſtoriæque Sanctorum, quæ ſunt à locupletiſſimis Autoribus conſcripta, nec quidquam opus eſt, auxilium implorari mendacii.

Illud tandem ut certiſſimum & pro gegerali Regulâ poteſt conſtitui, quæcumque referuntur ab Autore notæ recentioris, neque reperiuntur ullo veteri monumento ſuffulta, rejicienda prorſùs eſſe atque nullo loco habenda. Objiciet fortaſſe aliquis, quædam Traditione tranſmitti. Abſit à me hoc ſcelus, quod me efficiat omnis cujuſcumque Traditionis impugnatorem. Toto revereor corde Univerſalis Eccleſiæ Traditionem, ipſamque habeo tanquàm Fidei Regulam Infallibilem, quippè J. C. Eccleſiæ ſuæ promiſerit, futurum numquàm, ut *Portæ Inferi adversùs eam prævalerent.* Quod Argumentum poſſem fuſiùs proſequi, niſi illud eſſet à me alibi fuſiſſimè tractatum. Quod autem pertinet ad peculiares Eccleſiarum Traditiones, modò nullam patiantur intermiſſionem, autoritatemque ſuam mutuentur à publico cultu, qui jàm-

Tractatu de Doctrinâ Chriſtianâ.

jam-dudùm obtineat ad eundem non accedunt gradum infallibilitatis, ſed propriam habent veriſimilitudinem & quandoque etiam ſuam certitudinem. Animus non eſt attingere quæ ſpectant ad ſpurias Reliquias, in quibus occurrit aliud genus ſycophantiæ, quippe de materiâ iſtâ doctiſſimè diſſeruerint Viri clariſſimi Launoius & Pater Mabillonius, quorum Opera inviſantur.

Launoius, Mabillonius.

Fluit in Hiſtoriam tertius errorum fons, qui derivatur potiſſimùm ex ſubdititiis Libris, qui ſub nominibus Virorum Excellentiſſimorum falſò circumferuntur: Plurimùm inſerviunt ejuſmodi detegendæ thecnæ regulæ quædam, quæ omnibus præſtò ſunt. Nihil eorum eò loci repetito ſermone ſubjiciam, quæ eâ de re abundè ſcripta reperiuntur in Præfatione, quæ legitur ad frontem meæ ſcriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ: Benevolum Lectorem rogabo, ut ipſam velit adire, futurumque præſagit animus, ut ejuſdem ei lectio non omninò diſpliceat, quidquid adverſùs eam effuderit recentiſſimus Autor, à quo duplex jam editum fuit ingens volumen, in quo impetuntur eruditiores quotquot ſunt tùm apud Catholicos, tùm apud Proteſtantes, ſcriptores, & omnia tentantur, ut quæ rejiciuntur omnium unanimi Doctiorum conſenſu, quædam opera & re-

lationes è tenebris ad lucem revocari poſſint.

CAPUT II.

De exiſtentiâ, naturâ & proprietatibus veritatis.

VEritas una eſt æterna Lex, quæ debet ad ſui normam dirigere noſtras tùm cogitationes, tùm operationes; Eſt hæc veritas ipſe Deus in propriâ ſubſtantiâ, particula verò quædam Divinitatis in quantùm ejuſdem efficimur participes. Quocumque modo veritas nobis innoteſcat ſive per ideas innatas, ſive per immediatam ipſius in Deo viſionem, (neque enim animo eſt quæſtionem iſtam metaphiſicam attingere, quam tantâ cum ingenii ſubtilitate, quin etiam dici poteſt cum aliquâ contentione duo magnæ prorſùs eruditionis Viri hâc noſtra ætate inter ſe agitaverunt,) ipſam à Deo nobis impertiri certiſſimum eſt.

Clariſſ. vir Arnaldus & Pater Malebranchius.

Aliquid unum eſt hæc veritas, neque enim affirmari poſſunt vera duo, quæ ſecum pugnant. *Veritas*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *ut naturâ ſuâ unum eſt, non multa; Verum quippe unum eſt, mendacium multiplex.* Cujus rei ſupponamus unum exemplum: *Amabilis virtus & cuivis alteri rei præponenda eſt;* En adeſt

Greg. Naz. Or. 36. p. 591.

una

una veritas, cui ſubjungimus varia mendacia tùm ſecum invicem, tùm cum ipſâ prædictâ veritate pugnantia. 1. Non exiſtit virtus. 2. Quanquàm virtus exiſteret, nullatenùs amabilis eſt. 3. Virtute voluptas potior eſt. 4. Debet honorum divitiarumque cupido virtutis ſtudio eſſe flagrantior. 5. Omnia ſunt virtuti poſt habenda, famâ vitâque exceptis. Quæ quidem omnia mendacia ut inter ſe diverſa, ita ex æquo normam offendunt veritatis.

Eſt hæc veritas omnium omninò communis hominum, quippe qui, ſi proprias attenderint ideas, nequeant in eadem verba ſenſuſque eoſdem non convenire. Provoco quemcumque, modò pectore velit eſſe candidus, ut inficietur, ex duobus tribus ſuperadditis effici quinque; Ex conjunctiſque duobus numeris paribus numerum parem exurgere. Ejuſmodi notio ab experientiâ ſanè non deducitur. Neque enimverò numerorum omnium uſquàm enumeratio facta eſt, ut perveniretur ad iſtam veritatem; Eam igitur hauriri neceſſe eſt ex illo veritatis intimiori ſenſu qui unicuique Hominum à natura inſitus eſt.

Et hæc veritas immutabilis, neque poteſt ulli viciſſitudini ſubjacere, Quod egregiè admodùm exprimit S. Auguſtinus ſequentibus verbis. *Quàpropter,* ait

S. Aug. l. 2. c. 12. n. 33. tom. 1. op. p. 599. & 600.

laudatus Doctor, *nullo modo negaveris, incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera ſunt continentem, quam non poſſis dicere tuam, vel meam, vel cujuſcumque hominis, ſed omnibus incommutabiliter vera cernentibus, tanquàm puris modis ſecretum & publicum lucrum. Omne autem quod ratiocinantibus atque intelligentibus præſtò eſt, ad nullius eorum naturam pertinere quis dixerit.*

Sic autem familiare erat S. Auguſtino magnum hoc principium, quo tanquàm fundamento nititur quidquid habemus exploratum, ut illud idem ab eo plurimis in locis paſſim adductum reperiatur.

Idem Confeſſ. l. 12. c. 25. n. 34. t. 1. op. p. 221. a.

Amo, inquit, *quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt. Et ideò nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Si autem ideò ament illud, quia verum eſt, jam & ipſorum meum eſt, quoniam in commune eſt omnium veritatis Amatorum.*

Amabilis eſt veritas, falſum autem mendaciumque non niſi digna ſunt odio. Quod uſque adeò verum eſt, ut quibus nulla ſubeſt notio veritatis, acerrimum eos inœat ejuſdem cognoſcendæ ſtudium, & quos mendacia thecnæque juvant, ut fallant alios, iidem ægrè admodùm ferrent, ſeſe falli. Atque ita fuit à S. Auguſtino ſummo cum judicio obſervatum; *Multos*, inquit, *expertus ſum qui vellent fallere*,

Id. l. 10. de Civit. Dei, C. 23. n. 37. t. 5. pag. 182. E. F.

fallere, qui autem falli, neminem.

Veritas homines beatos efficit, nec niſi præſente veritate ulla felicitas iiſdem adeſſe poteſt: Paſcatur animus commentitiis, fabulis inanibuſque chimæris; Quidquid poſſint delectationis afferre, nihil ad beatitudinem hominis conducunt, quod etiam advertit S. Auguſtinus. *Nam quæro ab omnibus*, inquit, *utrùm malint de veritate, quàm de falſitate gaudere: Tàm non dubitant dicere, de veritate ſe velle gaudere, quàm non dubitant dicere, ſe velle beatos eſſe. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate .... Hanc vitam beatam omnes volunt gerere, cùm de veritate omnes volunt.* In alio verò loco ſic habet; *Veritate cognoſcitur & tenetur ſummum bonum.* Et iterùm alibi; *Nec ſecundùm rationem vivit, nec beatus eſt omninò quiſquis errat.* Idem ibid. Id. l. 2. de lib. Arbitr. c. 3. n. 36. t. 1. o. p. 306. Id. l. contrà Academic.

CAPUT III.

Variarum, quæ veritati ſubſunt, ſpecierum diſtinctiones.

QUanquàm veritas ratione ſui ſit quid unum, quoad nos conſiderata mutiplex eſt, ſeu potiùs diverſæ ſunt ejuſdem cognoſcendæ rationes. Occorrunt veritates generales omnibus omninò hominibus manifeſtæ; Qualia ſunt

 prin-

principia, quibus veluti fundamentis innituntur cæteræ noſtræ cognitiones, quemadmodùm iſtud, quod in Metaphyſicis adhibetur, *impoſſibile eſt, idem eſſe & non eſſe*; In Phyſicis, *materia eſt extenſa*; In Mathematicis, *Ab omni puncto dato linea recta, eaque tantùm una duci poteſt*; In Moralibus, *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*; In Logicis, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Quæ veritates aliæque generis ejuſdem plurimæ ut percipiantur, nihil indigent nec ope ſenſuum, nec experimenti ſubſidio, neque teſtimonio humanæ autoritatis, ſed cuilibet intelligenti propoſitionum voces, ad easdemque attendenti ſpontè ſeſe offerunt atque innoteſcunt. Veritates aliæ ſunt; quarum notitia vel ex ſenſibus accipitur, vel ex autoritate: De iis ſatis abundè dictum eſt in Capite primo, ut palàm fieret, quâ ratione perveniretur ad earumdem notitiam, & varii, qui poſſunt iiſdem ſubeſſe certitudinis aut veriſimilitudinis gradus indicarentur. Quod ſpectat ad veritates naturali lumine notas, ex iis efficiuntur conſequentiæ quædam, quæ ſi ſint conſequentes, totidem evadunt veritates. Quas inter reperire eſt numero plures, quæ ſunt evidentes & omninò perſpicuæ & de quibus nullum poteſt ſuboriri dubium: Sunt quædam aliæ, quæ, quoniam

quoniam remotæ, non niſi cum attentione & aliquâ contentione animi deteguntur, & pro falſis quandoque accipiuntur, aut etiam nullatenùs apprehenduntur; Nihilominùs ejuſmodi veritatum ignorantia haberi nequaquàm poteſt invincibilis, quippe ſit ſemper in culpâ, qui eaſdem non percipit.

Philoſophus celeberrimi prorſùs nominis, qui viguit poſtremis iſtis temporibus & inquirendæ veritati plurimùm incubuerat, aliam multarum diverſi generis veritatum proponit diſtinctionem, quæ fere recidit in eandem noſtram. Veritates in duas claſſes diſtribuit, unam quæ eſt veritatum *neceſſariarum*, & alteram *contingentium*. Veritates neceſſarias appellat eas, quæ ſunt propriâ ſuâ naturâ incommutabiles, & eas, quæ ita ſunt conſtitutæ voluntate Divinâ, quæ nulli mutationi obnoxia eſt: Iterùm namque dividit iſtas veritates neceſſarias in eas, quæ ex inditâ ſibi naturâ atque per ſe ipſas ſunt immutabiles, ut ex duobus repetitis efficiuntur quatuor, & in eas, quæ non aliam ob cauſam neceſſariæ ſunt atque incommutabiles, quàm quia fuerunt ſic determinatæ voluntate Dei, cui nihil poteſt ſubeſſe viciſſitudinis; verbi gratiâ quòd globus in tali tempore talique conflictu globum alterum moveat. Quanquàm Carthesius aſſeruerit, à Di-

P. Malebranch. De Inquiſit. verit. t. 1. l. 1. c. 2. n. 5. & in Præfatione 2. Tomo præfixâ.

à Divinâ voluntate quaſcunque pendere veritates, & contenderit, nihil eſſe verum, quàm propterea quòd Deus voluerit eſſe verum, Pater Malebranchius fatetur, veritates quaſdam eſſe ab æterno, quæ Divinæ voluntati prorſùs non ſubjiciuntur, & ait, non videri ſibi credibile, quòd Deus efficere poſſit, ut ſimul vera ſint duo, quæ ſecum invicem pugnant. At veritates aliæ ſunt eodem autore, quæ non aliundè habent, quòd ſint veritates, quàm quia ſic eas eſſe Deus voluit, quales ſunt Leges motûs Corporum, quas Deus juxtà ſuam voluntatem conſtituit atque determinavit, quoniam ipſe ſupremus eſt Motor. Poſſent iſtæ veritates Deo volente mutari & reipſâ mutantur ut accidit in Miraculis; Sed, quoniam animo præſumendum non eſt, futurum, ut Deus qui eas pro infinitâ ſuâ ſapientiâ ordinavit, velit eaſdem abſque gravi cauſâ evertere, ideò veritates ejuſmodi ſunt etiam neceſſariæ. Veritates *contingentes* eæ ſunt, quæ cauſas habent mutabiles, ut Hiſtoria, Grammatica, Jus particulare, Conſuetudines & alia plurima, quæ pendent ex mutabili Hominum voluntate; Nituntur equidem iſtæ veritates ipſâ Lege æternâ, quæ jubet ordinem ſervari, eundemque perturbari vetat.

Poſſunt quoque revelatæ veritates ad triplicem

triplicem claſſem revocari; Veritates incommutabiles atque per ſemetipſas neceſſariæ, ut Trinitatis Myſterium: Neceſſariò ſunt tres in Deo Perſonæ, Pater gignit Filium, & Spiritus ſanctus à Patre Filioque neceſſariò procedit; Hæ tres Perſonæ unius ejudemque ſunt eſſentialiter Naturæ unuſque Deus. Aliæ ſunt veritates revelatæ, quæ pendent è voluntate Deì, quanquàm eas ab æterno voluerit prædeterminare atque prædefinire ratione, quæ fixa ſit & conſtans neque ulli obnoxia mutationi, ut Creatio Mundi & Verbi Incarnatio. Aliæ denique ſunt, quæ mutationem poſſunt experiri: Licèt namque Divina voluntas, è quâ potiſſimùm pendent, ſit prorſùs immutabilis, tamen ipſa progreſſu temporis ſeſe convertit ad objecta, quæ diverſa ſunt. Qualis eſt Lex, quæ Judæis data eſt, & poſtmodùm antiquata fuit quantùm ad præcepta Cærimonialia, quorum Deus iiſdem cuſtodiam præceperat.

CAPUT IV.

Definitio Veritatis.

QUædam adeò ſimplicia ſunt atque pervulgata, ut quâ poſſint ratione definiri, vix reperiatur: Eſt in eorum numerum veritas reponenda. Ipſa percipitur,

pitur, quin etiam ſentitur; Cùm verò definienda eſt, verba vocesque deficiunt. Et reverà quidem ita ſe res habet de *veritate* quomodò de *Ente*: Ens ideò non poteſt definiri, quoniam genere caret atque differentiâ; Utrumque etiam veritati deeſt. Genus quidem, quippè nihil ſit ſuprà veritatem; Differentia verò, quia veritates omnes conſentiunt in genere veritatis. Ne ergò benevolus Lector futurum ſperet, ut veritatis adducam definitionem, quæ redigatur ad ſtrictiores Logicorum apices; Hoc unum, quod poſſunt præſtare, efficiam, nimirùm ut quibuſdam verborum circuitionibus enitar aliquam ipſius afferre notionem.

Veritas eſt eſſentialiter ſcientia Dei ejuſque Lex æterna: Quod congruit huic æternæ veritati in quantùm Hominibus innoteſcit, habet rationem veri; Conſequentiæ, quæ ritè deducuntur ex primariis iſtis principiis, ſunt veritates; Quod ſenſus renuntiant reale atque ſenſibile, veritas quoque eſt ſi minùs quoad objectum repræſentatum, quod non contingit ſemper, at ſaltem in nobis, quantùm ad impreſſiones, quas in animâ noſtrâ quaſi inſculpunt; Fides, quam adhibemus aſſerenti, rem aliquam eſſe veram, id quoque præſtat, ut quod aſſeritur teneat quantùm ad nos locum veritatis.

Poteſt ex dictis colligi veritatem eſſe convenientiam cum æternâ Lege rerumque infimarum exiſtentiâ: Cujus definitionis utrumque membrum complectitur veritates tùm generales, tùm particulares, eaſque, quæ vel innoteſcunt naturali lumine, vel ex ſenſibus hauriuntur, vel ſibi vindicant fundamentum autoritatis.

Ut autem prædicta definitio omnibus ſuis partibus & numeris explicetur, obſervandum, veritatem poſſe in duplici ſenſu accipi, vel pro ipſâ rerum, ut ſic loquar, realitate, vel pro earumdem cognitione. In priori ſenſu nihil eſt niſi veri. In poſteriori verò, ut veritatis nomen noſtræ cognitioni poſſit competere, neceſſe eſt, totum quidquid ineſt objecto, ab eâdem ex omni parte & nativis ſuis coloribus repræſentari. Falſitas non eſt ens reale, nihil eſt nihilumque realitatis, Indè eſt, quòd apud Hebræos obtinuerit, ut Idolis non aliud nomen inderent, quàm inanitatum rerumque inanium, hoc eſt, rerum commentitiarum, nec exiſtentium eâ ſaltem ratione, quâ eádem Ethnici cogitatione depingebant. Quorum Hebræorum veſtigiis inſiſtens S. Paulus ait, *ſcimus, quia Idolum nihil eſt.* Falſitas prorſùs nequit eſſe aliquid reale. Verum inter & reale nihil intercedit diſcriminis: Poteſt equidem ineſſe aliqua realitas objectis, quæ falsò con-

concipiuntur; At falſum non poteſt aliud eſſe, quàm nihilum, neque ex aliâ ratione falſum eſt, quàm quia non exiſtit.

Veritas quoad nos conſiderata, & prout ſeſe habet in animis noſtris, eſt cognitio rei alicujus exiſtentis, ipſius tùm naturæ, tùm proprietatibus omninò conſentanea. Falſitas eſt judicium, quo pronunciatur, aliquid verè exiſtere, quanquàm reipsà nullatenùs exiſtat, aut de eodem quædam proprietates aſſeruntur, quibus omninò caret.

Ineſt principiis iiſque quæ vera ſunt, certa quædam realitas, Si cum eâdem judicia noſtra concordent, veritatem apprehendimus; Si verò diſſentiant, errore decipimur. Sanctum Auguſtinum non fugerat iſta prædictarum duarum veritatum diſtinctio, unius ſcilicet, quæ ad ipſam rerum naturam, & alterius, quæ ad noſtras perceptiones refertur, At propoſitam ſibi in ſuis ſoliloquiis difficultatem non videtur Sanctus Doctor expediiſſe *Defini ergò verum*, ait: Et propoſitâ definitione, quæ ſequitur, *Verum eſt quod ita ſe habet ut cognitori videtur, ſi velit poſſitque cognoſcere*, ſic arguit; *Non erit igitur verum quod nemo poteſt agnoſcere? Deindè ſi falſum eſt quod aliter, quàm eſt, videtur.... eadem res & vera & falſa erit.* Quâ verborum ambiguitate non perſpectâ, veritatis alia definitio protinùs

S. Aug. Solil. l. 12. c. 5. 12. n. 18. t. 1. op. p. 372. B

nùs ſubjungitur iis verbis, *verum eſt id quod eſt*: Eam verò definitionem S. Auguſtinus ſic rurſùm impugnat; *Nihil ergò erit falſum, quia quidquid eſt, verum eſt.* Jamverò nemo non videt, iſtas difficultates evaneſcere ope noſtræ diſtinctionis, quâ veritatem aſſerimus unam objecti & alteram perceptionum noſtrarum. Quæ autem poſtremo loco objectio proponitur, planè ruit ex obſervatione præmiſſâ, quâ probavimus, falſitati nullam ineſſe entis rationem.

Veritatem attigimus huc uſque ſub iis tantummodò reſpectibus, quibus ſeſe habet tùm quoad res ipſas, tùm quoad animum noſtrum: Eſt nunc agendum de eâdem quatenùs exteriùs enuntiatur ſive verbis, ſive aliis quibuſcumque indiciis; Et illud eſt quod *veracitas* dicitur, cui repugnat *mendacium.* Eſt alicui perſpecta veritas una, quod ſentit interiùs, eidem vel verbis, vel aliis externis ſignis totus repugnat: Ejuſmodi mendax eſt; Quidquid veri poſſit illius dictis ſubeſſe, ſi cogitatione eadem apprehendat ut falſa, peccat adverſùs veracitatem, quæ potiſſimùm exigit, ut exprimatur quod ſentitur verum, non autem ſemper quod verum eſt, cùm non ut verum percipitur. Jamverò culpæ multò gravioris ſeſe conſtituit reum, ſi veritatem, quæ dictis adverſatur, intùs habuerit exploratiſſimam.

mam. In eo igitur veracitas conſiſtit, non præciſè quòd verum ſemper proferatur, ſed quòd nihil ſignificetur niſi quod verùm eſſe creditur. Poteſt quisquis falli, atque adeò juxtà, quem animo imbibit, errorem alios fallere; quo quidem in caſu contrà *veracitatem* nihil quidquàm peccat, licèt in eum culpa fortaſſè cadat, quòd in ferendo judicio fuerit nimiùm præceps, omnemque, quâ opus erat, attentionem animi non adhibuerit, & tandem quòd, quanquàm verax fuerit, tamen receſſerit à partibus veritatis. Solus eſt Deus, cujus veracitas reperitur errori numquam obnoxia. *Omnis homo mendax* adeòque ſicut falli poteſt, ita et fallere. Recurret in iſtâ Diſſertatione locus eandem materiam iterùm aſſumendi & copioſiori ſtilo de eâ diſſerendi.

Subjicitur etiam alia notio *veracitatis* quantùm ad tempus futurum, hoc eſt quatenùs ordinem dicit ad fidem, quæ promiſſis facta eſt, exolvendam. Tria verò potiſſimùm obſtant, ne pollicita efficiantur, vel quia eadem impleri nullâ ratione poſſunt, vel quòd, licèt poſſint, deſit voluntas, vel tandem propterea quòd, cùm contrà, quàm fas eſt, fuerit promiſſum, fides nequeat ſine crimine exhiberi. Præbent legitimæ locum excuſationi impoſſibilitas quidem in primo caſu, & in poſtremo ratio æquitatis; At

nihil cauſæ quidquam caſui ſecundo ſubeſt, cur promiſſa non debeant eſſe & Chriſtianis & quibuſcumque viris honeſtis ſacroſanctiſſima. Solius Dei promiſſa id habent, ut ſint ſemper juſta & infallibilia, ſuoque numquàm defraudentur effectu. Veracitas Dei in exequendis promiſſis ipſius attributum eſt, quod ſæpiſſimè verbiſque expreſſiſſimis laudatur in veteri Teſtamento & in Novo ab ipſo Chriſto Jeſu confirmatur, quod ita norunt omnes, ut nihil neceſſe ſit eò loci tam aperte veritatis adjungere probationes.

CAPUT V.

De vi veritatis.

TAnta cognitæ veritati vis ineſt, ut non poſſit eidem intùs non aſſentiri. Equidem illa negari poteſt extrinſecùs atque diſſimulari, at ſentitur in ipſis præcordiis eſtque in intimiori ſinu perſuaſiſſima. Mendacium & diſſimulatio tam vividis conſcientiæ ſtimulis relinquunt locum, ut quidquid è contratiò fuerit animo deſtinatum, ipſi quaſi invito veritas excidat. Undè Autor tertii Libri Eſdræ, qui quanquàm in Canonicorum Indicem non referatur, eſt tamen alicujus ponderis, ait. *Magna eſt veritas, prævalet;* 3. Eſdras. ℣. 14.

2. Corinth. 13. v. 6. Hilar. lib. de. Trinit. n. 52. p. 914. Aug. lib. ad Donatiſt. præt. collat. c. 25. n. 43. op. t. 9. p. 606. F. Id. Epiſt. 118. Id. Ep. nunc 258. Op. t. p. 863. A.

valet; & S. Paulus ſic habet, ***Non enim** poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate.* S. Hilarius vim veritatis & fidei commendat his verbis, *Tanta ratio veritatis & tanta vis fidei eſt, ut vincat voluntatem veri neceſſitas.* Quæ S. Auguſtinus eâ de rè habet, ſunt multò lucu-lentiora; *O violentia veritatis,* inquit, *quolibet equuleo, quibuslibet ungulis fortior ad exprimendam confeſſionem .... Suos non in carne, ſed in corde torquet inimicos, ut eam confiteantur inimici.* Et alibi S. Doctor ait. *Agnitio veritatis omnia falſa, ſi modò præferantur, etiam quæ priùs inaudita erant dijudicare & ſubvertere idonea.* Laudatus Pater homines hortatur, ut ſpontè ſeſe ſinant vinci à veritate, quoniam ſubjicit, *Bonum eſt homini, ut eum veritas vincat volentem : Quia malum eſt homini, ut eum vincat invitum; Nam ipſa vincat neceſſe eſt ſive negantem, ſive confitentem.*

Cujus ſententiæ veritatem quotidiè videmus eorum deplorabundo nimis exemplo ſatis ſuperque comprobatam, qui vera, licèt cognita, aut inficiantur, aut falſis involvunt; Quod vel etiam advertere eſt in ipſis ſontibus, qui, cùm arguuntur, vix ac ne vix quidem poſſunt ſuum ſcelus non confiteri. Quibus conſcientiæ ſtimulis ii non exagitantur, qui propter captandam Hominum gratiam, prælucente necquicquàm in intimis pec-ctoribus

ctoribus lumine veritatis, ipſam produnt veritatem? Nùm vivere quieto animo poteſt Vir Eccleſiaſticus, cùm ſibi conſcius eſt, quæ docet, propugnat, è ſacris pulpitis fundit, atque conſcribit: abhorrere à chriſtianis veritatibus? Judex, cui vel innocentia Rei alicujus, vel bona Cauſa litigatoris licèt manifeſtæ ſint & exploratæ, vel intuitu lucri, vel artibus occultis atque ſollicitationibus, vel humanis quibuſlibet rationibus eò adducitur, ut condemnet innocentem aut contrà jus decernat, nonne ſibi parat, undè, quamdiù vita ſuperfuturâ eſt conſcientiâ, torqueatur iniquitatis? Quin etiam mendaciuncula, quæ nemini nihil officiunt, ipſos ſuos angunt atque ſollicitant autores qui ſeſe tùm vultu tùm trepidatione ſæpè ſæpiùs produnt mendaces.

At verò, inquiet aliquis, aliquandò latet veritas atque opprimitur, error autem prævalet etiam plurimis temporibus, nonne veritas tunc vincitur? Huic objectioni ut fiat ſatis, opponenda tantummodò ſunt aliquorum Patrum verba; Præibit autem Tertullianus, qui propoſitam difficultatem planè reſcindit. *Veritati*, ait, *Nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum .... Dominus noſter J. C. veritatem, ſe non conſuetudinem cognomina-* Tertull. de veland. Virginib. n. 3.

gnominavit, veritatem, quæ prorſùs antiquiſſima eſt. .... *Hæreſes non tam novitas, quàm veritas revincit.*

Sequuntur deindè S. Cyprianus, Epiſcopi Africæ & Firmilianus, qui eidem Tertulliani principio toti inhærent, quòd ſcilicet J. C. veritatem ſe, non conſuetudinem cognominaverit, cujus quidem principii veritas eſt potiùs perpendenda, quàm eò ſpectandum, quò illud idem

S. Cyp. Ep. 63. detorquent. *Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, ſed quid qui antè omnes eſt Chriſtus puer fecerit; Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.*

In Concil. Carthag. ſub Cypriano anno 256. *Nemo*, inquiunt Epiſcopi Africæ, *conſuetudinem rationi & veritati præponat: Quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.* Quibus conſentit Firmilianus,

Firmil. apud Cypr. Epiſt. 25. cùm ait; *Quis tàm vanus ſit, ut veritati conſuetudinem præferat.... Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.*

S. Aug. Enarrat. in Pſal. 61. Op. tom. 4. p. 599. F. Tertio loco venit S. Auguſtinus qui ſic habet; *Occultari poteſt veritas ad tempus, vinci non poteſt.* Cui ſententiæ ſuffragatur, eamque reddit ipſiſſimis verbis

Autor de Reg. Monach. apud Hieron. Autor Regulæ Monachorum, quæ S. Hieronymo tribuitur; *Veritas quidem*, ait, *claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt. Quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine Hoſtium non terretur.*

Eodem

Eodem in argumento non minùs diſertus eſt S. Iſidorus Peluſiota : *Potens*, inquit, *omninò eſt res veritas ; Eſt tempus, cùm ſilentio premi poteſt, & è contrario quæ ſecreta ſunt celare volentes, ipſa vultûs triſtitia gemitûſque involuntarii produnt.* Ab eodem verò Patre in alio loco principium illud ſtatuitur, quòd ſcilicet *Qui ſermonum artificio veritatem obnubunt, multò ... miſeriores iis eſſe videantur, qui eam minimè perceperunt. Nam qui ob ingenii tarditatem eam haud quaquàm aſſecuti ſunt, iis fortaſſè venia tribui poſſit. Qui autem ob mentis acumen eam indagarunt, malitioſo autem ac veteratorio animo ex hominum oculis ſubduxerunt, graviùs peccant, quàm ut ipſis ignoſci debeat.* Iſidor. Pelus. l. 5. Ep. 566. Idem l. 3. Ep. 215.

Occurrunt exempla eaque funeſtiſſima ac numero nimis plurima veritatis in ipſâmet Eccleſiâ quibuſdam temporibus oppreſſæ vel deluſorum autoritate Principum, vel à ſummis Pontificibus, vel à majori Epiſcoporum multitudine, vel à Sophiſtis ſubtilioribus, vel multarum Eccleſiarum tacito aut expreſſo conſenſu, vel tandem à numeroſis etiam Conciliis: Pauciores verò Epiſcopi, Clerici atque Laici latitantes & vexati perſecutionibus, eandem aliquandiù licèt obnubilatam reſtituerunt comprobaveruntque illud promiſſum J. Chriſti, futurum nempe numquàm, ut *Portæ Inferi prævalerent adverſùs ip-*

ſius Eccleſiam; Et iſtud S. Auguſtini effatum, quòd ſcilicet *occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt*.

Lib. de Verit. Relig. Chriſt. n. 11. & de Bapt. contrà Donat.

S. Auguſtinus ſermonem faciens de injuſtis Excommunicationibus, quibus Innocentes à viſibili Eccleſiæ Communione repelluntur, ſic ait, *Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt, immò plura ſunt, quàm credi poteſt*. Utinam noſtris his temporibus ejuſmodi poſſint exempla rariora dici quantùm ad veritatem ignotam aut oppreſſam.

CAPUT VI.

De Veriſimilitudine & Probabilitate.

NUmero propè-modùm infinita ſunt, quæ cognitione certâ non apprehenduntur neque ex evidentiâ, neque ex autoritate, quæ ſpeciem veri nihilominùs præ ſe ferunt, quæque tanquàm vera probabile eſt admitti poſſe: Hoc autem genus cognitionis minùs certæ in ſcientiis ſpeculativis, aut etiam practicis *veriſimilitudo* dicitur, in rebus verò moralibus *probabilitas*.

A veritate veriſimilitudo & probabilitas in eo differunt, quòd veritas ſit una, & multiplices reperiantur probabilitates atque veriſimilitudines; Quòd cognitioni veritatis annexa ſit omnimoda certitudo,

tudo, inſit verò probabilitati ac veriſimilitudini incerti aliquid, undè dubium ſuboriatur; Quòd denique veritatis clara cognitio reddat animum fixum, probabilitas autem atque veriſimilitudo eundem detineant ſuſpenſum. Veritatis cognitio, quæ certa eſt atque explorata, *Scientiæ* ſortitur nomen; Quæ poteſt ex veriſimilitudine probabilitateque hauriri, *Opinionis* nunc retinet appellationem, licèt vocabulum iſtud antiquitùs idem ſonaret, quod affirmatio rei alicujus incertæ, quaſi certiſſimæ, quo poſtremo ſenſu Cicero ſeſe dicebat *Magnum Opinatorem*. Quanquàm quidquid eſt merà veriſimilitudo, omniſque probabilitas ex inditâ ſibi notione rationem innuant dubii, tamen opiniones aliæ ſunt, quæ plus habent veriſimilitudinis ac probabilitatis, aliæ verò, quæ minùs, pro diverſitate rationum, argumentorum & autoritatum, quibus animus diſtrahitur. Poteſt, quod raрò contingit, aliquibus opinionibus veriſimilitudinis & probabilitatis ineſſe ratio adeò ſimilis, ut animus hæreat in æquilibrio, neque ei quidquam ex propriis cognitionibus ſeſe offerat, undè queat in unam potiùs, quàm in aliam partem inclinare. Cicero in Lucull.

Jam videamus quis prædictarum veriſimilitudinum ac probabilitatum rectus aut malus uſus eſſe poſſit.

D 3 Pri-

Primus ac craſſiſſimus, qui fuit hâc in Materiâ conceptus, Error Accademicorum eſt atque Pyrrhoniorum, qui ſtatuebant, nullam omninò poſſe certò certiùs innoteſcere veritatem, & quidquid cognitione apprehenditur, conſiſtere in merâ veritatis ſpecie, neque prætergredi limites veriſimilitudinum ac probabilitatum, quibus moveri ſufficienter animum aiebant, ad deſcendendum in unam ſententiam potiùs quàm in aliam, atque licèt incertum nullâque momentorum ratione perſuaſum eundem ad agendum ſatis ſuperque determinari.

Pyrrhonii verò longè longiùs progrediebantur contendebantque, nihil prorſùs exiſtere, quod poſſet haberi tanquàm verum aut falſum, tanquàm juſtum aut injuſtum, adeò ut ex duobus contrariis neutrum foret juſtius atque verius: Sic etiam eò uſque dubitare eos juvabat, ut nequidem auderent iſtam propoſitionem affirmare, eamque in dubio relinquerent, cùm è-contrario abſque ullâ tergiverſatione Academici aſſererent, nihil quidquam poſſe cognitione certâ atque exploratâ attingi.

Sic ſeſe habebat iſtud quod Academicis erat loco familiaris ac generalis Principii: *Turpe eſt*, inquiebant, *errare, & ideò nulli rei conſentire debemus. Sed tamen cùm agit quisque quod ei videtur probab ile*

nec

nec peccat, *nec errat*. S. Auguſtinus, qui totam Academicorum Doctrinam in prædicto Principio complectitur, paucis oſtendit, quantùm ſit eadem perniciosa; *Indè ſequitur*, ait, *crimina omnia excuſari poſſe per hæc verba: Ego non conſenſi, nihil mali feci; Quomodò autem non facerem. Mihi probabile.*

August. contrà Academicos.

Indè duplex ſcaturit Fons funeſtiſſimus everſionis Imperiorum, civilis ſocietatis atque Religionis. Ipſe crimen admittam atrox, occidam, latrocinabor: Ejuſmodi factis criminis nihil ineſſe probabile puto; Aliquid licèt atrocitatis haberent admixtum, non peccavi, quoniam agendo, ejuſmodi atrocitati non conſenſi, hoc eſt non putavi, quæ faciebam, cum Regulis veritatis ac juſtitiæ congruere, aut iiſdem adverſari. Attamen indè habeo legitimam excuſationem, quòd iſtæc fieri poſſe probabile mihi viſum fuerit.

Poſſet alter error occurrere in materiâ veriſimilitudinum ac Probabilitatum, in eo nempè quòd aliquis contenderet, eaſdem eſſe planè rejiciendas, neque ne minimè quidem attendendas aut adhibendas ſivè quantùm ad inſtituendam vivendi rationem, ſivè quantùm ad inquirendam veritatem.

Si quis auderet errorem ejuſmodi propugnare, facili negotio confutaretur & ratione & ipſius experientiæ quotidianæ

exemplis: Eſt hoc in more poſitum, ut in Rebus Moralibus & Politicis in Arte Medicâ cæteriſque ſcientiis practicis quæcumque ſint, plerumque ſit impoſſibile aſſurgere ultrà metas probabilitatis atque veriſimilitudinis, & neceſſitas incumbat ad eaſdem conformandi praxim, non quia hoc iis ineſt, ut animum expleant, ſed propterea quòd in morâ periculum adſit, &, ſi res protraheretur, uſque dùm præſtaretur ex omni parte ſucceſſus, ſæpè ſæpiùs effugeret occaſio; Bonum aliquod opus procraſtinaretur; Immineret jactura magni lucri, quod ſperari poteſt; ægrum, quem ſpes eſt è faucibus mortis eripiendi, extrema præoccuparent, &c.

Præterea verò non ita raro fit, ut ex concurſu plurium veriſimilitudinum pluriumque probabilitatum, quæ ſeſe invicem juvent, eadem ad perſuadendum vis derivetur, quam habere poſſent evidentiſſimæ demonſtrationes, cujus rei frequentia paſſim occurrunt exempla tùm in Factis hiſtoricis, tùm in Phiſicis & in Moralibus, adeò ut animum eſſe totum oporteat in ejuſmodi veriſimilitudinibus atque probabilitatibus conquirendis quantùm ſufficit, maximè quoad argumenta, quæ nequeunt aliâ ratione demonſtrari, quò poſſit detegi veritas, ad quam aliundè nullus pateret acceſſus. Inter

Inter veriſimilitudines atque probabilitates, ſpecies duæ diſtinguuntur : Aliæ ſunt, quæ propriis noſtris cognitionibus, ratiociniis, quæ in utramque partem efficimus, conſcientiæque noſtræ motibus ac propenſionibus innituntur; Aliæ verò, quæ pro fundamento ſibi vindicant autoritatem aliorum qui vel etiamnùm vivunt, vel jàm ceciderunt, aut eorum qui vel præſentes ſunt, vel abſentes. Ut poſſunt prædictæ duæ veriſimilitudinum ac probabilitatum ſpecies ſecum invicem conſentire, ſic etiam inter ſe omninò differre : Contingere namque poteſt, ex quibuſdam rationum momentis rem aliquam videri mihi veriſimiliorem aut probabiliorem, quæ juxtà communem opinionem minùs veriſimilis & minùs probabilis videatur iis, vel qui habent apud me aliquid autoritatis, vel quos intelligentiâ mihi ſuperiores meritò exiſtimem. Præstereà obſervandum eſt, licèt nihil certitudinis inſit veriſimilitudini & probabilitati, nihilominùs occurrere opiniones, quæ quanquàm probabiles ſint ac veriſimiles, plus minùs-ve veriſimilitudinis habeant atque probabilitatis ſive ex ipſo rationis fonte, ſive ex autoritatis teſtimonio. Quas diſtinctiones neceſſe erat præmittere ad faciliorem, quæ ſequuntur, quæſtionum enodationem.

Inter ejuſmodi quæſtiones hæc primo

loco ſe-ſe offert, nimirùm an liceat cuilibet veriſimilitudini & cuivis adhærere probabilitati etiam leviſſimæ ac minutiſſimæ, ne ullâ quidem ratione habitâ, nùm dari poſſit opinio, quæ probabilior ſit ac veriſimilior? Ita ſenſerunt qui auſi ſunt aſſerere, poſſe teneri quamlibet opinionem, quæ vel videtur probabilis, vel innititur teſtimonio ſuperiorum, aut peritorum, aut etiam ſolâ autoritate aliquorum, qui vel docti ſupponuntur vel bonæ atque ingenuæ fidei.

Quo ſemel poſito ejus generis ſyſtemate, nulla eſt opinio quantumcumque abſurda ſit, cui non poſſit fides adhiberi, nullum facinus ut-ut horrendum ac deteſtabile, quod perpetrari rectâ etiam conſcientiâ nequeat. In animum inducat aliquis, opinionem quandam ideò veriſimilem eſſe, quòd futili rationis momento fulciatur, etiamſi opinionis contrariæ prorsùs ſit inſcius; Imò verò quocumque deficiente rationis argumento, ſola Philoſophi unius aut Philoſophorum aliquorum ſufficeret autoritas, evidens eſt, ejusmodi ſeſe ſpontè erroris periculo ſubjicere. Alius in iis, quæ mores propiùs attinent, probabilem utcumque judicet aliquam opinionem, juxtà quam aliquid poſſit etiam adverſùs Legem tentari: Et quoniam quod Cicero de quibusdam Philoſophis affirmavit, hoc idem

meritò

meritò poteſt ad laxiores Caſuiſtas extendi, *nihil ſcilicet tam abſurdum, quod non fuerit dictum ab aliquo Philoſophorum*, probabilitati conſentientem habeat autoritatem alicujus Caſuiſtæ, licèt ejuſmodi autoritatis non omninò indigeat, propriâ cupiditate, cui favet opinio, in malum certiſſimè trahetur & totus dabit princeps in perverſitatem, conſcientiæ fide nihil tamen commotus; Uſque adeò verum eſt, eâ ratione quotquot ſunt leges everti divinas perindè atque humanas, ſocietatem perturbari, januam aperiri quibusvis erroribus, & præberi peccatis quibuslibet locum anſamque excuſationis.

In eo quod ad Religionem ſpectat, nonne ex deteſtando hoc principio derivarunt vetuſtiſſimæ hæreſes, indèque potiſſimùm fundamentum ſibi vindicant Anabaptiſtæ, Kaquerſiani qui gallicè dicuntur *Trembleurs*, & quotquot ſunt ejuſdem farinæ alii Fanatici?

Secunda quæſtio eſt, utrùm poſſit ac debeat ea teneri opinio, quæ majori veriſimilitudine graviorique probabilitate ſuffulciatur? Quæ quæſtio ut ſolvatur, redeundum eſt ad prædictas veriſimilitudinis probabilitatisque diſtinctiones, ad illudque maximè attendendum, quod obſervavimus, ſcilicet majorem probabilitatem poſſe legi conſentire perindè ac diſſentire, indèque rurſus fluunt aliæ quæſtiones. Quæ-

Quæritur 1. nùm aliquis, ſi quandam opinionem, quæ minùs tuta ſit habuerit probabiliorem, poſſit eam, quæ tutior eſt, ſequi, quanquàm ei videatur minùs probabilis? Ejuſmodi quæſtio, ſi id excipiatur, quod ad Religionem ſpectat, locum ut plurimùm obtinere non deprehenditur niſi in iis, quæ Morum Diſciplinam attingunt. Jamverò ſic intellectâ quæſtione, abſque negotio reſpondetur, quantumcumque ſit probabilis opinio, quæ diſſentit Legi, & quæcumque ſit probabilitas, Legem in tali caſu non obligare, relinqui non poſſe majorem probabilitatem, ut Legi tutiorique parti debitum obſequium adhibeatur. In eo nihil prorsùs occurrit diſcriminis: Si namque probabilior fuerit opinio, quæ minùs tuta eſt, cùm nulla certitudo veritatis adſit, eo ipſo quòd quis adhæret opinioni, quæ tendit ad illud, quod perfectius eſt, multò plus efficit, quàm quod veritate exigitur. Exempli gratiâ, probabilius habeo, mihi non incumbere, quòd in talibus rerum circumſtantiis ſubveniam alicui pauperi, minùſque probabile mihi videtur, ad memetipſum neceſſariò pertinere ejusmodi officium: Pauperi nihilominùs ſuccurro; Quis auſit eum reprehendere, qui ſic affectus pium ejus generis opus exequitur?

Tertia quæſtio, eſt nùm ex duabus opinionibus,

nionibus, quæ videntur æqualiter veriſimiles aut probabiles ſive propter rationum momenta, quibus innituntur, ſive propter autoritatem, ex quâ vim deſumunt neceſſitas incumbat adhærendi ei, quæ veriſimilior eſt & eam ſequendi quæ juxtà propriam conſcientiam apprehenditur ut probabilior. Mirum ſanè eſt, inter Chriſtianos reperiri, qui non erubuerint illud aſſerere, quod ab ipſis Philoſophis fuit improbatum, à quibus nec ipſos velim eximios haberi Academicos, qui quanquàm in dubium vocarent omnia, nihilominùs ſpontè fatebantur, quoad ea, quæ pertinent ad Civilem vitam, prorsùs adhærendum eſſe parti, quæ videretur & veriſimilior & probabilior. Non audebant equidem verbis expreſſis affirmare, aliquid verum eſſe, ſed tantùm ſibi videri veriſimilius atque probabilius; Et hæc ipſis erat ratio ſuprema, quâ potiſſimùm movebantur ad cogitandum atque ad agendum, adeò ut ſeſe gravioris culpæ proximos habuiſſent, ſi cogitationes vel actus ad ejusmodi principium non accommodaviſſent.

Ut deteſtabilis iſta propoſitio ſuis ab ipſis fundamentis ſubvertatur, nimirùm *poſſe interiùs aſſentiri alicui rei, quamvis eandem non eſſe veram ſit veriſimilius, & licere quantùm ad praxim ſequi opinionem, quæ putatur minùs probabilis, quandò mores*

con-

conducit ad mollitiem, mihi ſatis eſt hoc unum ejus generis hominibus proponere: Veritatem amatis, inquiam, an odio proſequimini? Procul dubio reſpondebunt, illam toto corde diligimus, neque enim aliud eſt, quod ipſi reponere audeant; Proſequar deindè vultis ſalvari, an verò de ſalute veſtrâ eſtis parùm ſolliciti? Abſit, inquient, ſalutem noſtram ſincerè volumus, imò ſolum bonum eſt, ad quod contendimus. Poſteà ſubjiciam, quid eſt veriſimilitudo? Veriſimilitudo, inquient, illud eſt, quod nobis videtur verum, quanquàm non ſit certum. Nunquid poteſtis habere aliquid ut verum, quandò vobis compertum eſt contrarium ad ſpeciem veri magis accedere. Veritas eſt quid unum, at poſſunt veriſimilitudines ſibi invicem adverſari; In ejuſmodi caſu quam potiſſimùm partem ſequi debet vir ſapiens & prudens niſi eam, quæ plus habet veriſimilitudinis, veritatemque quam appetit, ſi minùs attingere poteſt, ad eam ſaltem pro virili parte debet propiùs accedere, illudque amplecti, quod verum eſſe probabiliùs animo præſumit; Jamverò quod quisque putat veriſimilius, hoc ipſum eſt, quod pro ejus concipiendi modo limites veritatis propiùs contingit.

In iis, quæ ſpectant ad Morum Diſciplinam, Nemo poteſt conſequi vitam æter-

æternam, niſi ſeſe Legum Præceptorumque reddat obſervantiſſimum. Neſcio, inquiet Sectator probabilitatis, nùm in tali caſu hæc Lex hocque Præceptum urgeat, mihi quidem probabilius videtur urgere; Attamen memetipſum puto rectâ conſcientiâ poſſe ejuſdem immunem efficere. O egregia ſanè ratiocinandi ſubtilitas! Hoc eſt, animo eſt eam inire viam, quæ probabiliùs conducit ad mortem. Ecquid ergò ſonat iſtud Eccleſiaſtici? *Qui amat periculum, in illò peribit*: Et illud Apoſtoli Pauli, *ab omni ſpecie mali abſtinete vos*; Et iſtud àliud J. C. *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent .... Prudentiores ſunt in generatione ſua Filii tenebrarum Filiis lucis.* Spirat aliquis quoddam officium, cujus incerta eſt impetratio: Amicus ei dicit, probabile eſt equidem, quòd poſſis aſſequi propoſitum proſequendo eâ, quâ cœpiſti ratione, at multò probabilius eſt, futurum, ut ex voto res ſuccedat, ſi talem viam aggrediaris. Nonnè virum ejusmodi deficere mente prorsùs oporteret, ſi rationum adhiberet eam, quam ei dicitur & ipſe ſentit ad propoſitum finem minùs probabiliter collimare? Numquid igitur eodem animo eâdemque prudentiâ non agemus in iis, quæ ad ſalutem æternam attinent, quibus ut plurimùm utuntur ſapientiores, ut caduca momentaneaque bona ſibi comparent.

Nunc alia ſuccedat quæſtio: Poſito, quòd opiniones duæ eundem prorsùs habere videantur veriſimilitudinis ac probabilitatis gradum; Utri ſtandum? Hujusmodi quæſtio nihil prorsùs habet, quod animum debeat ſuſpenſum diù detinere: Obtinet hæc Juris Regula Legi tùm Divinæ, tùm naturali conſentiens, quòd ſit *in dubiis pars tutior eligenda*. Fit ſponſio, cujus exitus à merâ aleâ totus pendet, hoc eſt ab ejusmodi conditione, quæ neutri favet pignore contendentium: At ex unâ parte ſeſe aliquis offert, qui mihi gratis præſtat partem pecuniæ, quam ipſe amittere poſſum, quamque ſortis periculo permiſſam probabile eſt poſſe ex alterâ parte totam amittit: Quisquis eſt mentis compos, abſque dubio ad oblatam deſcendet conditionem, quâ certum ſit, nonniſi mediam pecuniæ partem perdi poſſe, totumque lucrum poſſe vinci, cùm è contrariò in altero caſu totam pecuniam ſorti committens, eandem poſſit integram amittere. Exemplum iſtud accommodemus ad præſentem quæſtionem: En occurrunt opiniones duæ, quæ, quantùm videtur, ſunt perindè probabiles. Falli poſſum aleam omnium ſubeo, ſi partem eam amplectar, quæ me legis obſervandæ efficiat immunem, nihil verò periclitor, ſi legem adimplevero. Actum eſt de omnibus, ſi vel

vel illudam mihimetipſi, vel fallar quantùm ad æquilibrium duarum iſtarum opinionum: At verò certiſſimum eſt lucrum, ſi tenuerim oppoſitam partem, quæ tota eſt legi congruens. Quid autem in eo poſteriori caſu amittendum occurrit? Carendum aliquibus bonis temporalibus, renunciandum delectamentis quibusdam, abſtinendum à certis vitæ commodis: Nùm iſtæc omnia poſſunt ad æternam ſalutem, quæ in extremum adducitur, æquiparari.

Verùm, inquies, ab omni me abſtinebo ſponſione, hærensque in bivio nihil agam: Sed ponimus neceſſitatem incumbere & faciendæ ſponſionis, & agendi. A te poſcitur reſtitutio, ad quam perſolvendam utrùm tenearis, nec-ne tibi videtur prorsùs ambiguum: æqualia rationum argumenta eædemque autoritatis gravitates in partem utramque tibi ſuccurrunt: Aut rependenda eſt, aut planè deneganda; ſi prius, aliquantulùm fortunam imminuis, ſi poſterius, cujus quantæque iniquitatis diſcrimini temetipſum objicis.

En tertia quæſtio, quæ nondùm inſtituta fuit in præſenti, de quo diſſerimus ſubjecto. Superiùs diſtinximus duas ſpecies veriſimilitudinum ac probabilitatum, quarum aliæ noſtris perceptionibus & cognitionibus innituntur, aliæ verò autoritatis fundamento: Utri prædictarum

ſpecierum partes ſunt deferendæ priores? Si rem aliquam veriſimiliorem ac probabiliorem pronuntiamus ex propriis cognitionibus, & aliundè adſit autoritas ſive ſuperior, ſive paris ponderis, quæ judicet, oppoſitum eſſe probabilius; Nùm de propriâ ſententiâ deſiſtemus, ut ſequamur autoritatem? An verò ſic in eo caſu nos gerere rectâ conſcientiâ poſſumus?

Scopuloſa eſt atque difficilis ejusmodi quæſtio, ideòque non niſi ſummâ cum attentione omnique quantùm adhiberi poteſt, cautione tractanda. Dubium nullum eſt, ſi de autoritate infallibili agatur, exuendas eſſe noſtras quotquot habemus perceptiones atque cognitiones, ut id credatur, quod autoritas iſta docet, & quod præcipit, executioni mandetur: Neque enim in eo caſu, quod autoritate fulcitur, intrà limites veriſimilitudinis ac probabilitatis conſiſtit, ſed veritatem importat indubitatam atque certiſſimam, cui nefas eſt obſiſtere.

Sed de ejusmodi autoritate omninò non agitur: Quæſtio non attingit niſi ejus generis opiniones veriſmiles & probabiles, quarum una juxtà proprias, quas habeo cognitiones, eſt veriſimilior ac probabilior, & altera judicatur veriſimilior atque probabilior ſive ex communi Hominum opinione, ſive à meis ſuperioribus,

bus, ſive ab iis, quos meritò exiſtimo mihimetipſi intelligentiâ doctrinâque longè longiùs excellere.

In Metaphiſicis hoc loco Regulæ generalis habetur, ut, ſi detegere non poſſimus veritatem, debeamus huic adhærere quod ipſius veritatis magis videtur ſpeciem referre. In moralibus verò obtinet illud Apoſtoli, nimirùm *quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt,* hoc eſt quidquid non eſt ex conſcientiâ, (in eo namque loco vocabulum *fides* juxtà omnes quotquot ſunt inter antiquos atque hodiernos excellentioris notæ Interpretes, pro conſcientiâ accipitur:) Jamverò quæro, num aliquis qui credit, aut ſeſe fingit credere propriis reluctantibus perceptionibus, cui in intimis ſenſibus perſuaſum eſt, oppoſitum eſſe veriſimilius, poſſit intimam iſtam exuere perſuaſionem, ut cedat ſententiæ alterius quicumque ſit, quem habet ut fallibilem? Quæro, utrùm quem rationum momenta movent ad credendum, probabilius eſſe, quòd nequeat ſecundùm conſcientiam & abſque peccato rem aliquam efficere; is poſſit inſtar cœci & ſine ullâ exceptione aſſentiri oppoſitæ ſententiæ, quæ ei proponitur ab aliquo ſuperiore; Eſto, verſentur in errore ii, de quibus inſtituo hypotheſim, nihil refert, ſed determinandum eſt, an ſtante errore, &

antequàm dubitandi rationes removeantur, animi ad pleniorem intelligentiam reducantur, ſcrupulique evellantur conſcientiæ, intimæ ejuſmodi cognitiones interioresque ejus generis conſcientiæ motus potiores eſſe non debeant omni quâcumque autoritate, quam conſtat nullâ gaudere prærogativâ infallibilitatis?

Id negari poſſe abſque dubio eſt, quandò controvertitur de eorum ſententiâ, qui nullius ſunt autoritatis: At verò, cùm de iis agitur, qui præſunt & ſuperiorum partes ſuſtinent, quidam Autores ſentiunt, in eo caſu præſtandam omnimodam &, ut aiunt, cœcam obedientiam, abjiciendasque proprias cognitiones, ut eorum ſententiæ præſtentur obſequium & aſſenſus. Quod quidem dictu facile rectè ſe haberet, ſi res eâdem poſſet cum facilitate ſuccedere; Sed *fides non imperatur.* Ipſe non poſſum credere, quamdiù mihi ſubeſt dubitandi locus, ſufficiensque dubii ratio reſtat, quamdiù dubitandi rationes non removentur: Nihil autoritas confert ad excutiendas ejuſmodi dubitationes, occaſionem tantùm præbet, undè debeam mihi diffidere, atque in memetipſum diligenter inquirere, nùm proprius me non fallat animus; At quamdiù ſola imperat autoritas, nec valet mihi veritatis afferre perſuaſionem nec religione animum exolvere, neque ver-

ba

ba ſuggerere, quæ diverſum quid ſonent ab eo, quod interiùs cogito atque ſentio. Verùm enimverò niſi ſeſe res ita haberet, indè plurima eaque chriſtianis auribus horrenda incommoda ſequerentur. Primum, quòd ſæpè ſæpiùs occurreret neceſſitas ab intimis abſtinendi cognitionibus, & propriæ mentiendæ conſcientiæ, ad obediendum Superioribus qui res exigerent evidenter malas atque injuſtas: Secundum, quòd ſeſe daret occaſio frequens de ſententiâ diſcedendi & ſemetipſum ſinendi circumferri omni vento doctrinæ, quod verbis diſertis Apoſtolus vetat, *Nolite circumferri omni vento doctrinæ.* Cujus rei en Argumentum, quod eſt omni tergiverſatione ſuperius: In certo loco quodam me-me ſuppono commorari, ubi Superior mihi legem imponit rem aliquam credendi, quæ mihi videtur aut planè falſa, aut ſaltem minùs probabilis; attamen, ſi principiis cœcæ obedientiæ inſiſtitur, non eſt undè poſſim eidem fidem denegare, imò & ejuſdem rei docendæ neceſſitas incumbit. Aliò deindè me contingit immigrare, ibique ſuperior occurrit, qui priſtinæ meæ ſententiæ totus accedit, ad quam proindè me revocare neceſſe erit, adeo ut quot ſuccedent locorum immutationes, tot occaſiones immutandæ ſententiæ futuræ ſint, quod ſi juvet materiam

præſentem ad dictum S. Athanaſii utcumque accommodare, non immeritò poſſet appellari *fides Temporum & non Evangeliorum*.

Obedientia verò iſta cœca quæ exigitur,in paginis tùm Veteris, tùm Novi Teſtamenti, vitio vertitur atque improbatur ſic legitur in libro Eccleſiaſtici, *qui citò credit, levis eſt corde*.

Jamverò nonnè præproperæ fidei jure argueretur quisquis reluctante nequicquam intimiori ſenſu fidem deferret autoritati humanæ, quam conſtat nullâ ratione eſſe infallibilem. Oportet adſint rationum momenta ducta vel ex ipsâ evidentiâ, vel ex autoritate, & ejuſmodi generis, quæ animis afferant perſuaſionem, alioquin removeri nullatenùs poterit iſta *levis cordis* exprobratio, hoc eſt animi qui fidem adhibet abſque fundamento, abſque ullâ momenti rationis umbrâ & abſque perſuaſione, *qui citò credit, levis eſt corde*.

Eccleſ. 19.

Quantâcumque autoritate præpolleret ipſe J. C. ejusmodi cœcam obedientiam neque à Judæis, neque à propriis Diſcipulis unquàm expopoſcit. Sic Judæos alloquitur opponens proprium de ſe ipſo teſtimonium ei, quod perhibuerat *S. Joannes-Baptiſta* qui in Evangelio appellatur *lucerna ardens & lucens: Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne; Opera enim*,

enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.

Alterius teſtimonii loco erant Prophetiæ: *Si enim*, inquit Chriſtus, *crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi, quia de me ſcripſit.* Imò verò ipſe ibidem loci non dedignatur fateri, futurum, ut ſuo teſtimonio, niſi operibus & antiquis Prophetiis fulciri reperiretur, fides denegari poſſet; *Si Ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Joannis. 5.

Ex Miraculis & Prophetiis volebat propriam ſuam confirmari autoritatem, undè ſic ait in alio loco: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Atque indè eſt potiſſimùm, quòd Apoſtolus *S. Paulus* qui vult, *intellectum noſtrum captivari in obſequium fidei*, ſic etiam præcipiat, *rationabile ſit obſequium veſtrum*, plurimùmque inſiſtat, ne facilè credatur omni ſpiritui, ſed probetur, utrùm ex Deo ſint.

Verum equidem eſt, J. C. dùm ſermonem haberet de Doctoribus Legis & Phariſæis, ſic declaraviſſe, *ſuper Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergò quæcumque vobis dixerint, facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere;* Eundemque, cùm ſuos Diſcipulos prædicaturos miſit, iis dixiſſe, *Qui vos audit, me audit.* At Nemo non videt, Matth. 23. ℣. 2. & 3. Luc. 10. ℣. 16.

ibidem conditionem iſtam ſubintelligi, modò nimirùm iis, quibuſcum rem haberent & Legis Doctores & Diſcipuli, nihil legitimæ ſuſpicionis ſubeſſet, à prioribus quidem Legem Moyſis adulterari, & à poſterioribus ſudditítiam humanamque protrudi pro genuinâ divinâque J. C. doctrinâ traditionum adinventarum farraginem. Ipſe namque J. C. & Apoſtoli reprehenderunt Phariſæos, quandò non docuerunt Legem Moyſis, & primævi Chriſtiani fidem nullatenùs præſtiterunt iis, quæ Diſcipuli J. C. ut Nicolaus unus ex ſeptem Diaconis, tradiderunt, cùm eadem probaverunt ab ipsâ Doctrinâ J. C. eſſe aliena. Deus in Veteri Teſtamento monuit Iſraelitas, ne eorum verba audirent qui ſunt ***Prophetantes de corde ſuo*** & docent mendacium. Occurrerunt Prophetæ, Doctoresque Legis qui errorem & edocuerunt & prædicaverunt; Iſraelitæ, quibus hoc præſens erat monitum, ejusmodi pſeudoprophetis nullam eſſe fidem adhibendam, propriis innixi ſenſibus atque interioribus adjuti luminibus, ab eorum errorum contagio ſeſe fecerunt incolumes.

Denique, ut ex ſcripturâ fiat apertum, Deum nequaquàm à nobis exigere cœcam obedientiam quantùm ad Superiores noſtros qui præciperent res Evangelio prorsùs oppoſitas, nihil luculentius

tius diſertiusque laudari ac deſiderari poteſt hoc duplici Divi Pauli Mandato. Primum in ſequentibus verbis continetur: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, & ab omni ſpecie mali abſtinete.* Alterum fert, nequidem autotitate ipſorum Angelorum moveri nos ullatenùs debere, ſi quid nos doceant, quod Evangelio diſſentiat; *Etiamſi nos ipſi, aut Angelus de Cœlo vobis annunciaverit Evangelium diverſum ab eo, quod accepiſtis, Anathema ſit.* Quæ ſententia Apoſtolica ſeſe extendit ad omnes Fideles, quibus incumbit neceſſitas ſéduliùs attendendi, ne eorum Paſtor qui eis Angeli loco eſt, alienam ipſis ab eâ, quam J. C. tradidit, doctrinam propinet: Si cauſa legitima adſit, cur eum ut Lupum, non ut Paſtorem habeant, nusquàm debent propriam exuere conſcientiam, ut ipſâ conſcientiâ reluctante, dictis ipſius & aliorum ejuſdem generis Superiorum adhibeant fidem.

Prædictis principiis, quæ inconcuſſa ſunt atque certiſſima, S. Hilarius inſiſtens, ſic habet: *Deus cognitionem ſui docuit potiùs, quàm exigit, & operationum cœleſtium admiratione præceptis ſuis concilians autoritatem, coactam confitendi ſe aſpernatus eſt voluntatem.* Hil. ad Conſt. l. 1.

Ne verò diutiùs immorer in proferendis pluribus eâ de re Patrum aliorum

teſtimoniis, unus omnium loco mihi erit S. Bernardus, qui materiam iſtam pleniùs tractavit in tribus operum ſuorum locis: Primus occurrit in Epiſtolâ ſeptimâ, quam inſcribit uni cuidam Monacho, qui ſeſe putabat ex conſcientiâ teneri ad obediendum ſuo Abbati, licèt quod præcipiebat Abbas, à ratione foret prorsùs alienum. Ibi ponit S. Doctor tanquàm primum principium ſententiam iſtam, quam generalem appellat, quæque educitur ex Pſalmo 124. ℣. 5. *Declinantes autem in obligationes* (ſeu *in perverſas vias*, ut fert textus hebraïcus, aut *in vias erroneas & obliquas*, juxtà ſeptuaginta Interpretes & vulgatæ Interpretationis Autorem) *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Cujus occaſione textûs, abs re non erit obſervare, in Vulgatâ ſcripturarum interpretatione legi *obligationis.* Exiſtimant *De Muis* & cum eo plurimi alii Interpretes, ab initio extitiſſe *obligationes*, & perperàm ejus verbi loco ſubreptum *obligationis.* Bellarminus retinens in integrum vulgatum textum, vocabulum iſtud intelligit non de *obligationibus,* ſed de *funalibus nodis,* Aquila vocem hebraïcam reddit de *impedimentis.* Symmacus de *ſuffugiis*; Quæ omnes interpretationes ad idem redeunt. Poſt brevem iſtam digreſſionem, ad S. Bernardum revertimur & ipſiſſima ejus ſubjici-

ſubjicimus verba. *Alioquin*, inquit, *generalis de hujuſmodi illa ſententia eſt:* Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. *At ne fortè quis Abbatum etiam in malo obedientiam ab hoc maledicto liberam eſſe contendat, audi alibi apertiùs*: Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filii. *Ex his ergò liquidò apparet, mala imperantibus non eſſe parendum, præſertim dùm pravis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo planè, qui omne quod perperàm agitur interdixit, inobedientem te exhibes. Valdè autem perverſum eſt, profiteri te obedientem, in quo noſceris ſuperiorem propter inferiorem, id eſt divinam propter humanam ſolvere obedientiam. Quid enim? Quod jubet homo, prohibet Deus: Ego audiam hominem ſurdus Deo? Non ſic Apoſtoli; Clamant quippe dicentes*, melius eſt obedire Deo, quàm hominibus. *Hinc Dominus in Evangelio Phariſæos increpans*: Quare & vos, *inquit* transgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras? *Et per Iſaïam*: ſine causâ autem, *ait*, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. *Et item ad Protoplaſtum*: Pro eo quòd obediſti voci uxoris tuæ plusquàm meæ, maledicta terra in opere tuo. *Igitur facere malum, quolibet etiam jubente, conſtat, non eſſe obedientiam, ſed potiùs obedientiam.* Quam

Pſ. 124. ℣. 5.

Ezech. 18. 20.

Quam ſententiam vult S. Doctor etiam ad ſummum uſque Pontificem extendi: *Sed quoniam*, inquit, *his poſſet ambobus opponi & anteponi Romani Pontificis tanquàm gravior autoritas, cujus quippè vos aiunt præmunitos fuiſſe licentiâ, (quæ & ipſa licentia ſuo quidem loco erit diſcutienda;) talis potiùs proferatur, cujus omninò fas non ſit autoritati contradicere. Certè ſummus ille Pontifex*, qui per ſanguinem proprium *ſolus* & ſemel introivit in ſancta, æternâ redemptione inventâ, *terrificâ voce denuntiat in Evangelio, ne quis unum de puſillis ejus audeat ſcandalizare. Vobis autem unius donetur ſcandalum, ſi non ultrà proceſſit malum. Facilis ſequatur venia culpam, ex quâ grave damnum non oritur. Nunc verò quod dubium non eſt, pluribus ſcandalizatis, quis apertè non videat, quàm inhumanè humanam juſſionem divinæ prætuleritis? Quod quidem audere, quis niſi amens dicere audeat, bonum eſſe, aut bonum fieri poſſe, quantælibet dignitatis homine præcipiente? Quod autem nec bonum eſt, nec benè fieri poteſt, procul dubio purum malum eſt. Undè conſequenter advertitur, quod iter veſtrum in multorum uſurpatum ſcandalum, ac per hoc & contrà Dei mandatum; non purum bonum aut medium, ſed purum omninò fuerit malum: Quoniam quidem & purum bonum ſemper bonum eſt, & medium benè fieri poteſt.*

Quis

Quis verò malum eſſe neget, aſſenſum præbere molo? Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequaquàm crediderim, niſi aut circumventum mendacio aut importunitate victum.

Cauſas deindè S. Bernardus confutat excuſationis, quas ut plurimùm ii prætendunt, qui ſuperioribus ſuis cæcam præſtant obedientiam. *Sed qui ad me? Inquis. Ille viderit, cui contradicere fas mihi non erat. Non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire Præceptorem auditor ....? Non attendit quale ſit quod præcipitur, hoc ſolo contentus, quia præcipitur. Et hæc eſt obedientia ſine mora. Si ita oportet, ſine causâ legitur in Eccleſiâ :* Omnia probate, quod bonum eſt tenete. *Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii :* Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, *ſufficiente quippè quod ſequitur, &* ſimplices ſicut columbæ. *Nec dico à ſubditis mandata præpoſitorum eſſe dijudicanda, ubi nil juberi deprehenditur divinis contrarium inſtitutis: Sed neceſſariam aſſero & prudentiam, quâ advertatur, ſi quid adverſatur; & libertatem, quâ & ingenuè contemnatur. Ceterùm, iſte, nihil, inquit, habeo interrogare: Viderit ille quid juſſerit? Dic quæſo, ſi dato in manus gladio, ſuum te armari juſſiſſet in jugulum, acquieviſſes? Aut ſi ſe tuo voluiſſet impulſu in aquam vel in ignem*

ignem præcipitem dari, obtemperaſſes? Nonne etiam ab his non prohibere cùm poſſis, in crimen tibi reputatur homicidii? Age ergò, vide ne fortè ſub prætextu obedientiæ, in quippiam ei gravius inſervieris. Non ignoras certè quis dixerit, (nam mihi hinc fortaſſè non crederes) expedire ſcandala facientibus demergi potiùs in profundum maris.

Eadem principia S. Doctor ſtatuit tùm in ſuo libro de præceptis & diſpenſationibus, tùm in plurimis aliis locis ſuorum operum. En iterùm fragmentum aliud eductum ex ipſius ſermone 41. *de Diverſis*, quod fragmentum totum obedientiam attingit: Quanquam autem ibidem virtutis iſtius omninò commendetur excellentia, hoc tamen valdè conſiderandum occurrit, nimirùm, ſi is, quem nobis Deus dedit ſuperiorem, doceat vel præcipiat aliquid, quod aut veritati diſſentiat, aut ſit à divinâ Lege alienum, audacter refutandum eſſe præcipientis imperium, liberâque voce opponendum, *Obedire oportet magis Deo; quam Hominibus.* Hæc ipſiſſima ſunt laudati Patris verba: *Fortiſſima res eſt*, inquit, *obedientia vera, & quæ in animum deſcendere non poteſt, niſi à mundi hujus aſpergine purè preſſèque deterſum. Ut autem via ejus evidentiùs eluceſcat, oſtendamus quantùm poſſumus, quæ ſit obedientia ſpecialis ad Deum, propria ad hominem, communis inter*

ter Deum & hominem .... Si ergò homo ille, quem impoſuit Deus ſuper capita noſtra, aliter ſentire voluerit, ponens tenebras lucem & lucem tenebras, ut & præcipiat prædicta bona relinquere, vel malis præfatis adhærere; Audacter refutandum eſt præcipientis imperium, & liberâ voce dicendum: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. *Hæc eſt ſpecialis obedientia ad Deum, quæ nequaquàm eſt hominis arbitrio temperanda, ſed immutabili conſervanda propoſito.* Subjicit poſteà S. Pater regulam ſummâ conſtitutam ſapientiâ, & præfatis principiis nihil prorſùs diſconvenientem, quâ ea potiſſimùm indicantur, in quibus abſque ullo peccandi periculo Prælatis atque ſuperioribus omnimoda obedientia exhibenda ſit. *Certam igitur*, inquit, *regulam tene, ut nec imperio Prælatorum prædicta bona relinquas, vel facias mala. Inter ſumma verò mala & ſumma bona, quædam media ſunt, quæ ad alterutrum ſe habentia, boni malique nomen aſſumunt. Media ſunt ambulare, ſedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ ſi Paſtoris licentiâ fiant, ſummam expectant retributionem. In his igitur mediis ſubditi eſſe & obedire debemus ad nutum præpoſitorum, nihil interrogantes propter conſcientiam, quia in his nullam præfixit opus Deus, ſed Prælatorum dereliquit imperio diſponenda. Non autem*

te moveat Magiſter imperitus, indiſcreta poteſtas: Sed momento, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui reſiſtit poteſtati, reſiſtit Dei ordinationi. Hæc eſt propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini ſubditi ſumus. Communis eſt etiam iſta inter Deum & hominem: Quia quidquid obedientiæ Prælatis exhibetur, ei exhibetur qui dicit: Qui vos audit, me audit.

Quamobrem longè diverſa eſt eorum conditio, quæ pertinent tantùm ad praxim rerum indifferentium, quas inter & doctrinam inſtitutaque divina nihil intercedit connexionis. Obtinet in certo locò, ubi commoror, quidam cærimonialis ritus: Eundem à me convenit obſervari, licèt ad oppoſitum propenſione quâdam propriæ volontatis meme ſentiam magis propendere. Atque illud eſt, quod S. Ambroſius innuebat ſequentibus verbis Matri S. Auguſtini: *Quando hìc ſum*, inquiebat, *non jejuno ſabbato; Quandò Romæ ſum, jejuno ſabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere.* Quod non modò conſtat eſſe verum quantùm ad quaſdam, quæ in Eccleſiâ obtinent, cæremonias indifferentes, ſed principii veritatiſque generalis loco habendum eſt quantùm ad ea, quæ vitam civilem moreſque propiùs con-

Ambroſ. apud Aug. Ep. num. 36. ad Caſulanum.

contingunt : Quocumque in Imperio conſiſtas, ad ejuſdem mores & uſus te neceſſe eſt accommodes, ſi nihil habeant, quod ſit vel à naturali Lege, vel à Religione, quam profiteris, alienum; Et ejus generis caſus ſoli ſunt, quibus peculiaris poſſit exceptio competere.

Quod principium S. Auguſtinus luculenter non minùs, quam fuſè proſequitur in Epiſt. 54. *Alia verò*, inquit, *quæ per loca terrarum regionesque variantur, ſicuti eſt quòd alii jejunant ſabbato, alii non: Alii quotidiè communicant corpori & ſanguini Domini, aliis certis diebus accipiunt: Alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbato tantùm & dominico: Et ſi quid aliud hujusmodi animadverti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes; Nec diſciplnia ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contrà fidem, neque contrà bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, ſocietatem ſervandum eſt.*

Ut autem manifeſtum fiat, à S. Auguſtino regulam iſtam ulteriùs extendi, quàm ad uſus merè cærimoniales, opus eſt, iſta tantummodò verba perpendi, *Quod neque contrà fidem, neque contrà bonos mores eſſe convincitur*; Ipſe verò ſequenti-

quentibus verbis propriam mentem diſertiùs adhuc atque multò clariùs exprimit : *Senſi enim ſæpè*, inquit, *dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam Fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ ſanctæ autoritate, neque univerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum poſſunt terminum pervenire, tantùm quia ſubeſt qualiſcumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſuâ patriâ ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem ſuam, quò remotiorem à ſuis, eò doctiorem factam putat ; Tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod niſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.*

Memet ipſum pudet, quòd mihi neceſſitas incumbat earum diſcutiendarum quæſtionum, quibus ortum dedit aut malitia, aut induſtria hominum, ut humanis faverent cupiditatibus, animiſque falſam injicerent perſuaſionem, eaſdem poſſe conſcientiâ nihil indè læſâ prorſùs expleri.

In infirmioribus veriſimilitudinum ac probabilitatum fundamentis ruinoſa caducaque extructa eſt ædificiorum moles, quibus non aliundè venit adminiculi aliquid quàm ex ipsâ cordis humani depravatione. Quod adminiculum quàm miſerandum ſit atque futile quis non videt ?

det? Aſſertum eſt verbi gratiâ, licere Magiſtro ſuos Diſcipulos opinionem docere, quam exiſtimat minùs probabilem; Judici dicere ſententiam pro causâ probabili adversùs probabiliorem; à Confeſſore abſolvi poſſe imo & deberi pœnitentem qui probabilem opinionem ſequitur, quanquàm oppoſitam teneat probabiliorem. Soli ſunt Medici, de quibus nondùm dictum ſit, quòd poſſent remedium adhibere, quod exiſtimarent curando ægrotò minùs idoneum alio, ex quo probabiliùs ejus ſanatio ſequeretur; Uſque adeò verum eſt, vitâ ſpirituali corpoream haberi longè longiùs potiorem. *O monſtra, ô portenta in ultimas terras deportenda*, exclamaret honeſtus aliquis Ethnicus! Ecquid enimverò, te ipſum adeo, Doctor, ut me doceas veritatem, eam à te expecto, tu verò fallis expectationem, & pro veritate mihi protrudis quod tibi probabiliùs videtur ad errorem accedere, nonne hoc ipſum eſt mihi facere inſidias, meque deducere in viam perverſam? Non ſecùs ac ſi viator aliquis obviam habens aliquem indigenam, ab eo ſciſcitaretur iter, quod conducit ad locum, ad quem properat, & iſte dubius rectioris itineris, ſed tamen ſufficienter inſtructus, rectius unum alio occurrere, nihilominùs illud indicaret, quod judicaret minùs rectum ac mi-

nùs ſecurum. Nunquàm continget, à Judicibus, qui ſint alicujus vitæ integritatis, pro minùs probabili Causâ dici ſententiam; Officio ſuo defuiſſe certò certiùs ſeſe inſimularent. Poteſt equidem Advocatus defendendam ſuſcipere cauſam probabilem, quæ ſibi videtur cum Imperii Legibus atque Conſtitutis non pugnare; At judicem nullum reperias, qui velit fidem facere, futurum ut pro eo pronunciet, qui cauſam habet minùs probabilem, etiamſi non ſit manifeſtæ iniquitatis. In eo autem hujuſce deteſtendæ opinionis horror ſe potiſſimùm prodit, quòd ad ipſam ſeſe etiam extendat Religionem. Volunt ejus Sectatores, à Confeſſore nonſolùm poſſe, ſed etiam deberi hominem abſolvi qui agit ſecundùm opinionem, quæ Confeſſori videtur minùs probabilis; Caſuiſtam, à quo conſilium ſumitur, poſſe Conſultori reſpondere juxtà opinionem, quam exiſtimat minùs probabilem: A Prædicatore & Doctore poſſe è ſacris pulpitis fundi atque proferri doctrinam de Religione & Moribus, quam ut minùs probabilem habeant: Quod vel etiam in civili commercio viri honeſtiores facere erubeſcerent; Sibi namque ipſi viderentur illudere amico, ſi rem aliquam ei perſuaderent, quæ plus ei præjudicii poſſet, quàm commodi afferre.

Ad

Ad tot tantasque aberrationes cumulus ut accederet, reſtabat, probabilitatem ipſam ſic, ut ita loquar, extenuari, quòd ad nihilum ferè indigeretur: Quod reipsà contingit. Nihil jam opus eſt, nec rationum momenta conquiri, nec autoritatem ponderari ſuperiorum, ut quis ad agendum determinetur; Unius aut alterius ſufficit placitum, quod etiam dari poteſt contrà propriam. ſententiam. Si unus ad ſententiam minùs reſponderit, ab aliis ſume conſilium uſque dùm ad cum pervenias, qui rem ex voto dirimat & quem fortaſsè conveneris cum verbis iſtis; *Reſponde nobis dulcia, reſponde nobis placentia.* Otium appetis, ipſi pulvinaria capiti cubitoque tibi ſupparaſitantes ſubmittunt. Infelices prorsùs qui vias ejusmodi calcant, ſed multò infeliciores qui eaſdem edocent & autoritate ſuâ comprobant. *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.*

Quidquid probabilitatis ſectatores ratiocinationis conficiunt, ad ſequentem redit ſyllogismum, quem ſolent variis in modis proponere. Qui agit ex probabilitate, agit prudenter: Atqui qui prudenter agit, non peccat; Ergo qui agit ex probabilitate, non peccat. Vitioſa argumentatio, merumque ſophisma, quod vel uno ictu facile eſt totum elidere. Agentem ex probabilitate conſ-

ſtat non agere prudenter, quandò ſuggerit prudentia, rationem aliam dari, quæ ſecurior eſt atque probabilior. Numquid virum prudentem dixeris eum, qui monitus, viam equidem illam iniri poſſe, ſed periculum eſſe, ne fortè graſſatores occurrant, aliam verò tentari poſſe non adeò infeſtam, iter periculis plenum præponit ei, quod non adeò periculoſum eſt.

S. Chriſoſt. homil. 44. in Matth. Ejuſdem generis exemplum S. Chriſoſtomus adhibet: *Si veſtimentum empturus, unum giras negotiatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris & pretio viliori, ab illo comparas; An non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincera Chriſti veritas venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere pluſquàm veſtimentum.*

Probabilitati prudentia quidem adhæret, quandò certitudo deficit; Verum dictat eadem prudentia, tenendum eſſe quod eſt veriſimilius atque probabilius, imò & occurrente æqualitatis caſu, quod certius eſt.

Talem prudentiam S. Bernardus requirit, ut ſimplicem efficiat oculum fidelis. „Exiſtimo, inquit S. Doctor, duo potiſſimùm requiri, ut oculus ſit ſimplex, „nimirùm charitatem in intentione, & „in electione veritatem. Si bonum diligitur, ſed non cognoſcitur, zelus „qui-

„ quidem habetur at ſcientiâ omninò
„ deſtitutus. Nuſquàm poſſum intellige-
„ re, ſi regulis veritatis inſiſtatur, affir-
„ mari poſſe, veram inveniri ſimplicita-
„ tem, quæ comitem habeat falſitatem.
„ J. C. cùm vellet ſuos Diſcipulos ratio-
„ nem docere, quâ ſeſe potiſſimùm eſ-
„ ſent geſturi, illis ait: *Eſtote prudentes*
„ *ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut Columbæ.*
„ Prudentiam primo loco poſuit, ſine quâ
„ ſciebat, nemini competere poſſe veram
„ ſimplicitatem. Si veritatem ignoras,
„ nùm vera dici poteſt ejusmodi ſimpli-
„ citas, quam ſimplex veritas non no-
„ vit? .... Patet ergò, laudabilem il-
„ lam ſimplicitatem, quam Dominus
„ commendavit, non poſſe niſi cum duo-
„ bus conſiſtere, ſcilicet bonâ voluntate
„ & prudentiâ, ut oculus cordis non tan-
„ tùm eò uſque religioſus ſit, quòd fal-
„ lere nolit, ſed etiam præcaveat, ne et
„ ipſe falli poſſit. „ Deindè ſic ſubjicit S. Doctor: *Oculum ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni & cognitio veri; ſic nequam oculum duo è regione mala conſtituunt cæcitas, quâ fit, ut veritatem non agnoſcat, & perverſitas, quâ fit, ut diligat iniquitatem. Porrò inter hæc duo bona, quæ nec fallere, nec falli ſinunt, & duo illa mala, quæ tam falli, quàm fallere faciunt, duo ſunt media: Unum quidem bonum, per quod oculus interior, etſi falli queat ignorantiâ*

rantiâ veri, zelo tamen boni fallere penitùs non conſentit: Alerum verò malum, quod licet veri notitiam non impediat, amorem tamen boni præ malitiâ minimè ſentit. In iſtis verbis ob oculos rectè omninò ponitur Quæſtio probabilitatis: Quâ autem ratione S. Bernardus reſpondeat, quæ ſequuntur demonſtrant.

1. *Qui bonum deligit,* inquit S. Doctor, *& malum neſcius agit: Hujus quidem bonus eſt oculus, quia pius; Non tamen ſimplex, quia cæcus.*

2. *Eſt qui bonum minimè diligens, ex malitiâ quidem perverſus eſt; Sed ſapiens, ut faciat malum, per ignorantiam cæcus non eſt.*

3. *Eſt qui bonum forte neſcius quod non diligit, agit; Cui profectò non incongruè id quod dicitur nequam aſſignaverim, eo quòd neutro careat malo, nec cæcitate ſcilicet, nec perverſitate.*

4. *Alius eſt pius oculus non quidem fallere promptus, ſed tamen, ut dictum eſt, falli pronus, de quo Propheta,* Ephraïm, *inquit*, quaſi Columba ſeducta, non habens cor. (Et ejuſmodi, propriè loquendo, eos repræſentat, qui ſequuntur opinionem minùs probabilem, quique proprios ſenſus exuunt, ut debiliori autoritati cedant.) *Alius is, quem Dominus ſimplicem dicit, tam nec fallere facilis, quàm nec falli, de quo & Apoſtoli docentur, cùm eis dicitur:*

Oſée 7. ꝟ. 11.

tur:

tur: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.

5. *Et item alius eſt oculus ſimpliciter malus, fallens utique libenter, ſed non facilè falſus; Qualem profectò habent illi qui ore Dominico adſtruuntur prudentiores eſſe Filiis lucis in generatione ſuâ.* (Et ibidem illi exhibentur Doctores, qui conſilium dant juxtà eam opinionem, quam exiſtimant minùs probabilem, aut etiam falſam.

Concludit denique S Bernardus, ſive bonum fiat aut ex malitiâ, aut ex ignorantiâ, perindè peccari. *Quod à neſciente fit, & bonum prorsùs condemnat intentio prava, & malum non penitùs excuſat recta: Sive itaque malum putes bonum, quod fortè agit, ſive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide: Licèt ſanè leviùs admodùm peccetur, ubi ſanâ intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam in non malâ actione intentio.*

Hæ Regulæ redeunt ad duo principia certiſſima, quæ ſtatuit S. Thomas qui ſibi proponit quæſtionem probabilitatis iſtis verbis: *An quandò ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille qui ſequitur minùs tutam, peccet?* En quâ ratione propoſitam ſolvit quæſtionem, principiis inſiſtent omninò diverſis ab iis, quæ ſequi amant recentiores Caſuiſtæ. *Duobus*

S. Thom. quodlib. 8. art. 13. *modis*, inquit, *obligatur aliquis ad peccandum: Uno modo faciendo contrà Legem, ut cùm aliquis fornicatur; Alio modo faciendo contrà Conſcientiam, etſi non ſit contrà Legem, ut ſi conſcientia dictet alicui, quòd levare feſtucam de terrâ ſit peccatum. Ex conſcientiâ enim obligatur aliquis ad peccatum, ſeù habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliquâ dubitatione. Illud autem quod agitur contrà Legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quòd eſt ſecundùm conſcientiam: Similiter, quod eſt contrà conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contrà Legem; Quod autem non eſt contrà Legem, nec contrà Conſcientiam, non poteſt eſſe peccatum.* In aliâ verò quæſtione, quam ſic idem S. Doctor inſtituit, *an ſit peccatum mortale habere plures præbendas?* Reſpondet. *Omnis quæſtio, ubi de peccato mortali agitur, niſi expreſſa veritas habeatur, periculosè determinatur; Quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè à tanto: Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hâc quæſtione accidit, quia Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis inveniuntur contraria ſentire.* Conſcientiam recentiores Caſuiſtæ præſtant tutam atque ſecuram, modò quis agat juxtà ſententiam unius alterius-ve

Idem quodlib 9. Art. 15.

Docto-

Doctoris: S. Thomas nequidem vult tutè agi poſſe, cùm occurrit in utramque partem opinionum diſceſſio. in eoque caſu exigit, ei potiſſimùm inſiſti, quæ ſit ſecurior.

CAPUT VII.

De Inquiſitione Veritatis *& mediis, quibus ad eam pervenitur.*

IIs, quæ fusè admodùm ſcripſimus in Capitibus 2. & 5. de veritatis excellentiâ, de ejus ſummâ vi, & de plurimâ, quæ præſentiam ejus comitatur, utilitate, nihil fere jam ſupereſt addendum, ut demonſtretur, eandem eſſe cum omni ſtudio quærendam: Prærereà indicavimus in Capite 1. tùm media quorum ope ipſa detegi poſſet, tùm regulas, quibus ab errore dignoſceretur. Operæ pretium nihilominùs facturum me crediderim, ſi ſpeciales rationes ex profeſſo proſequar, quæ ejuſdem inquirendæ hominibus imponunt neceſſitatem. Primò, Homo conditus eſt ad ipſam cognoſcendam veritatem: Proprium ipſius animi alimentum ea eſt, non ſecùs ac cibaria corpori ejus alendo inſerviunt: Nec minùs neceſſaria eſt ad ſuſtentandum animum, quàm quod comeditur, eſt neceſſarium ad corporis ſuſtenta-

tentationem; Ejus reperiendæ debet idem ardor tenere, quo victus comparatur corporis, eâdemque voluptate animus veritate reficiendus, quâ corpus paſcitur lautiſſimis ferculis. Unumquemque igitur propriæ ſuæ utilitatis causâ neceſſe eſt veritatis quærendæ fieri ſtudioſiſſimum, atque in eâdem reperiendâ quidquid animo virium ineſt adhibere.

Secundò, Veritatum quarumdam cognitio ad æternam ſalutem conſequendam eſt prorsùs neceſſaria. Nullus eſt non tantùm inter Chriſtianos, ſed nequidem inter homines, qui, cùm aliquid de Religione audierit, non debeat inquirendis veritatibus, quæ ad eam ſpectant, totus incumbere. Si Terras Mariaque Ethnici Philoſophi percurrerunt, ſi fuerint in remotiſſimas Nationes peregrinati, velut apud Indos, Brachmannas atque Ægyptios, ut quaſdam aſſequerentur philoſophicas veritates; Nullus profectò homo eſt, qui non debeat omni ope atque operâ eniti, quò poſſit veram Religionem & detegere & amplecti, & quæ propria ei ſunt Dogmata addiſcere. Hoc nimirùm ſalutis ſtudio plurimùm accenſi Judæique Gentileſque, priores docenti J. C. poſteriores prædicantibus Apoſtolis avidas aures patefecerunt. Eodem etiamnùm tenen-

nentur conſequendæ ſalutis ardore, eoque mirum in modum moventur Gentes magis barbaræ ad ſuſcipiendos & benignè audiendos ſacros Evangelii Præcones; Quanquàm fide certiſſimum ſit, Paganos atque Infideles verbo Dei, quod eis annunciatur, tandiù ſurdos manere, quamdiù vox Divinæ Gratiæ in interioribus eorum cordibus non ſonuerit, juxtà egregia S. Proſperi verba, quæ ſequuntur.

. . . . Percurrat Apoſtolus orbem;
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet.
Quâque viam verbo reſeratam invenerit, intret:
Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur.
Non Doctor, neque Diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.

Licèt fides prima ſit gratia, quâ quod neceſſarium eſt ad juſtificationem impetretur, ſupponit nihilominùs Evangelii prædicationem: *Fides ex auditu*, inquit S. Paulus, *auditus autem per verbum Dei.* Rom. 10. 17. ibid. *Sed*, anteà dixerat idem Apoſtolus, *non* ℣. 16. *omnes obediunt Evangelio; Iſaïas enim dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro.*
Ubi

Ubi primùm S. Apoſtolus ad Areopagum prædicaturus acceſſiſſet, Philoſophi Magiſtratusque Athenienſes ſeſe præbuerunt, quam annunciabat, novæ Doctrinæ omninò curioſos, eique dixerunt;
Act. 17. ℣. 20. *Nova enim infers auribus noſtris: Volumus ergò ſcire quidnam velint hæc eſſe.* Poſtulatum
Ibid. ℣. 21. ejusmodi ſanè dictabat novi aliquid addiſcendi cupido: Sic enim ſubſequitur; *Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.* S. Paulus multâ cum eloquentiâ diſſerens in Areopago, omnium attentionem in ſe convertit, uſquè dùm incœpiſſet de Mortuorum
Ibid. ℣. 32. reſurrectione loqui: Sed *cùm audiſſent reſurrectionem Mortuorum*, inquit ſacer textus, *quidam quidem irridebant. quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterùm;* & iſti poſteriores poſſunt ut dociliores haberi. Quas iis primùm annunciaverat S. Paulus, veritates eos affecerunt; Veritatem ergò ſincerè quærebant. Reſurrectio quidem Deique judicium eos exterruêre, undè quidam irriſerunt, quidam autem aliis ſapientiores ab eo petierunt, ut eos ejusmodi materiæ vellet iterùm facere participes. Quòd verò aliquorum Corda Deus moverit, patet ex
Ibid. ℣. 34. ſequentibus: *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus Dionyſius Areopagita, & Mulier nomine Damaris, & alii cum*

cum eis. Quod idem contigit Antiochiæ Piſidiæ: Judæi enim, poſtquàm noluiſſent prædicationem Evangelii ſuſcipere, Paulus & Barnabas ad Gentes ſeſe converterunt; *Audientes autem Gentes gaviſa ſunt, & glorificabant verbum Domini; Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* En eo loci tria occurrunt verbis expreſſiſſimis ſignificata: 1. Ardens veritatis ſtudium, quo ipſa requiritur; 2. Prædicatio, quâ audientibus ejuſdem affertur cognitio; 3. Eorum intellectus quos Deus elegit, captivatus in obſequium fidei.

Ex his inferre eſt, neceſſariam eſſe omnibus Hominibus veritatis inquiſitionem ut conſequi poſſint ſalutem æternam.

Tertiò, Chriſtiani cuicumque ſectæ addicantur, etiam obligantur, quantùm ad propriam ſalutem, ad vacandum inquiſitioni veritatis. *Unus Chriſtus, una fides, unum baptiſma.* Extrà veram Eccleſiam non eſt ſalus: Adeòque cuilibet imcumbit Chriſtiano quamcumque ſequatur ſectam, vel in ſacris Paginis, vel in Traditione, vel in ipſius univerſalis Eccleſiæ conſenſu ſcrutari veritatem. Quibus ſcriptura ſacra locum tenet ſolius Regulæ fidei, ii debent in eâdem inquirere veritatem, ſed etiam convenit ab ipſis rem quoque perpendi diligenter, nùm ipſa

ipſa veritas nón occurrere poſſit in Traditione. Falli qui poteſt in iis, quæ ad fidem pertinent; Sed nulla poteſt intervenire in inquirendâ veritate negligentia niſi cum periculo ſalutis. Quam conſtitiut J. C. fidei Regula una eſt, nec in aliquâ reformanda, inquit Tertullianus: *Hæc Regula à Chriſto inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas Hereſes inferunt, & quæ Hæreticos faciunt. Cæterùm manentes formâ ejus in ſuo ordine, quantùmlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari; Eſt utique frater aliquis Doctor gratiâ ſcientiæ donatus: Et aliquis inter exercitatos converſatus, aliquis tecum curioſus, tecum tamen quærens. Noviſſimè ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris, quia quod debeas noſti. Fides, inquit, tua te ſalvum fecit, non exercitatio ſcripturarum; Fides in regulâ poſita eſt.*

Tertull. lib. de Præſcrip.

Verum equidem eſt, in quæſtionibus quæ nihil cum fide habent connexionis & circà quas tanta obſcuritas occurrit tùm in Scripturâ, tùm in Traditione, *ut* juxtà propria verba S. Auguſtini, *venialiter ibi quiſque fallatur*, cognitionem veritatis non eſſe de neceſſitate ſalutis: At optandum ſemper eſt, ne vel leviſſimus error prævaleat, ideòque vacandum inqui-

Aug. l. 1. contrà Julian. C. *6.*

quirendæ veritati; Quæ ſi ſeſe evidentem non omninò faciat, adhærendum majori veriſimilitudini, tenendaque quæ ſeſe magis prodit, probabilitatis opinio. Atque ſic neceſſe eſt, animo cordeque Chriſtianos omnes præpari & affici, quò ſalutem adipiſcantur, ut aliquandò oſtendemus.

Quartò, Cognitio veritatis etiam neceſſaria eſt ad ſuſtinendum uſum vitæ Civilis. Sublatâ de medio veritate, nulla ſocietas inter homines reperiretur: Ipſa veritas Homines Hominibus adjungit, ſubditos facit Principum imperiis obedientiſſimos, Principibus dictat leges tùm æquitati, tùm regimini ſubditorum convenientes, efficit, ut in negotiis bona fides obtineat, quaſcumque coercet violentias, amicos reddit ſincerâ concordiâ conjunctiſſimos.

Quintò, Ipſa veritas adminiculo eſt ſaniori Morum Diſciplinæ, ne prolabatur: Niſi eidem inquirendæ ſeſe animus conferat, eum undèquaque circumveniunt periculoſi iique propèmodum infiniti errores, ad quos ſi effrænata indomitaque animi cupiditas, vel etiam quandòque falſus zelus acceſſerit, indè ſequi poteſt & Eccleſiæ & Imperii perturbatio, atque etiam eorum excidium, qui ſeſe caligine tenebrarum obcœcari permiſerunt, quòd ad lumen veritatis re-

 cur-

currere neglexerint. Atque ejusmodi cœcitas pœna eſt, quam Deus ut plurimùm iis infligit, qui propriis ſuis cupiditatibus obtemperant, juxtà dictum illud S. Auguſtini, *ſpargens pœnales cœcitates ſuper illicitas cupiditates.*

Sextò, Quæcumque tùm Scientiæ, tùm Artes, quæ vitæ afferunt aliquid utilitatis, ipſâ quoque innituntur cognitione veritatis: Tolle veritatem, evaneſcunt Mathematica, Phyſica, atque Mechanica, nullaque ſubſiſtit earum Artium, quæ ab iſtis Scientiis dependent. Confici nequidem ullum ratiocinium poteſt, niſi poſitâ veritate. Quin etiam ipſa Facta Hiſtorica tam antiquiorum Temporum, quàm recentiorum, pro fundamento neceſſariò ſupponunt veritatis cognitionem.

Septimò, In exquirendâ veritate, in eâdem inveniendâ & defendendâ is experitur delectationis ſenſus qui ſuperat omnes quæ poſſunt animo concipi, vitæ ſuavitates. Nihil æquiparatur ad eam voluptatem, quam ille habet qui indulget ſibi, nec ſtimuli quidquam conſcientiæ eorum affert, qui nihil aliud in inquirendâ veritate ſibi proponunt, quam ejuſdem ſtudium amoremque veritatis.

Fatendum tamen eſt, non omnibus hominibus eandem incumbere neceſſitatem, omnium quotquot ſunt, indiſtinctè

diè quærendarum veritatum : At neceſſariò obligantur ad earum inquiſitionem, quæ Religionem, Moreſque attingunt, & quibus potiſſimùm indigent, tùm ut conditionum ſuarum officiis faciant ſatis, tùm ut habeant majores progreſſus in ſtudiis, quibus ex proprio vitæ ſuæ inſtituto ſeſe dedere coguntur.

Aurum, Argentum & divitias homines terrâ marique quærunt. Iſtis omnibus veritas multò pretioſior eſt : Ipſa poteſt minori cum labore comparari, nec tot occurrunt ſubeunda diſcrimina ; Cùm autem inventa eſt, habet, undè homo ſit longè longiùs beatior, quàm ſi plurimos paraviſſet theſauros. *Da amantem & ſentit quod dico, Da deſiderantem & ſentit quod dico.*

Quod ſpectat ad media, quæ conducunt ad cognitionem veritatis, duo ſunt, ut jam monuimus, nimirùm evidentia atque autoritas, de quibus diſſeruimus in hujuſce Operis Capitibus 2. & 3. Agendum nunc de ratione & methodo, quæ ſunt potiſſimùm adhibendæ, ut poſſit ad eandem perveniri. Sermone nihil jam animo eſt viam attingere cognoſcendæ veritatis, quæ ducitur ex autoritate ſive divinâ, ſive humanâ, quoniam de ejuſmodi viâ ſatis ſuperque diximus. Addemus tantummodò quaſdam conſiderationes excerptas ex libro celeberrimi Car-

 theſii

theſii circà rationem, quâ ſeſe gerendum eſt in inquirendâ veritate, & circà methodum, quâ in ejuſmodi inquiſitione opus eſt, mentem dirigi. Hoc primum iſte magni nominis Philoſophus ſtatuit principii loco. „ Inter naturales „ Dotes id ſanæ menti potiſſimùm com- „ petere, ut unicuique tùm æquiùs, tùm „ largiùs diſtribuatur; Eâdem quippè ſe- „ ſe ita inſtructos putant omnes, ut qui- „ bus etiam videatur ſua ſors quantùm „ ad alia iniquior, ii nullatenùs deſide- „ rare ſoleant, aliquid portioni ſuæ ſa- „ næ mentis ſuperaddi. Quâ quidem in „ re omnes omninò decipi nequaquàm „ veriſimile eſt: Sed è contrariò indè „ poteſt hoc indicium deduci, faculta- „ tem verum à falſo diſcernendi, in quâ „ totum illud eſt prorsùs poſitum quod „ ſub appellatione ſanæ mentis vel ra- „ tionis circumfertur, ab ipsâ Naturâ „ fuiſſe omnibus æqualiter inditam; „ Adeò ut opinionum diverſitas ex eo „ non proveniat, quòd ſint alii aliis ra- „ tionis magis compotes, ſed indè po- „ tiſſimùm, quòd ſinamus animi ideas in „ varias partes vagari, nec eadem atten- „ tione fixâ conſideremus. Neque enim „ ſatis eſt, quòd habeatur ſana mens, „ ſed requiritur potiſſimùm ut ſciatur quâ „ ratione ſit eadem adhibenda. En om- „ nes omninò homines in eâ naturali

„ diſpo-

„ diſpoſitione poſitos, quâ præſuman-
„ tur veritatis cognoſcendæ capaces. Ut
„ autem eum optatiſſimum finem conſe-
„ quantur, eos neceſſe eſt eidem toto
„ animo incumbere; Quippè quâcum-
„ que ſanæ mentis prærogativâ donen-
„ tur, niſi tutioribus quibusdam regulis
„ inſiſtant, ſint pluribus erroribus ob-
„ noxii. En præcepta, quæ deindè pro-
„ ponit laudatus excellentioris omninò
„ notæ Philoſophus, ut poſſit ipſa veri-
„ ritas detegi.

„ Primum eſt, ut nihil unquàm ad-
„ mittatur, tanquàm verum, niſi quod
„ verum eſſe evidenter cognoſcitur:
„ Hoc eſt, ſummâ cum cautione viten-
„ tur & præjudicata omnis opinio &
„ animus in judicio ferendo nimiùm præ-
„ ceps, nihilque judicium complectatur,
„ quàm quod ita clarè atque diſtinctè
„ animo objicitur, ut de eo nihil quid-
„ quam poſſit ſupereſſe dubitationis.

„ Secundum, ut in conſiderandis tot
„ claſſes diſtribuantur, quantùm poſſibile
„ ac neceſſe eſt, quò faciliùs diſſolvan-
„ tur.

„ Tertium, ut ejusmodi cum ordine
„ ideæ dirigantur, ut fiat initium à ſim-
„ plicioribus & facilioribus objectis, aſ-
„ cendendo paulatim & quaſi per gradus
„ ad eorum cognitionem, quæ ſunt ma-
„ gis compoſita, adeò ut quidam ordo

 „ con-

theſii circà rationem, quâ ſeſe gerendum eſt in inquirendâ veritate, & circà methodum, quâ in ejusmodi inquiſitione opus eſt, mentem dirigi. Hoc primum iſte magni nominis Philoſophus ſtatuit principii loco. „ Inter naturales „ Dotes id ſanæ menti potiſſimùm competere, ut unicuique tùm æquiùs, tùm „ largiùs diſtribuatur; Eâdem quippè ſeſe ita inſtructos putant omnes, ut quibus etiam videatur ſua ſors quantùm „ ad alia iniquior, ii nullatenùs deſiderare ſoleant, aliquid portioni ſuæ ſanæ mentis ſuperaddi. Quâ quidem in „ re omnes omninò decipi nequaquàm „ veriſimile eſt: Sed è contrariò indè „ poteſt hoc indicium deduci, facultatem verum à falſo diſcernendi, in quâ „ totum illud eſt prorsùs poſitum quod „ ſub appellatione ſanæ mentis vel rationis circumfertur, ab ipsâ Naturâ „ fuiſſe omnibus æqualiter inditam; „ Adeò ut opinionum diverſitas ex eo „ non proveniat, quòd ſint alii aliis rationis magis compotes, ſed indè potiſſimùm, quòd ſinamus animi ideas in „ varias partes vagari, nec eadem attentione fixâ conſideremus. Neque enim „ ſatis eſt, quòd habeatur ſana mens, „ ſed requiritur potiſſimùm ut ſciatur quâ „ ratione ſit eadem adhibenda. En omnes omninò homines in eâ naturali

„ diſpo-

„ diſpoſitione poſitos, quâ præſumantur veritatis cognoſcendæ capaces. Ut „ autem eum optatiſſimum finem conſequantur, eos neceſſe eſt eidem toto „ animo incumbere; Quippè quâcumque ſanæ mentis prærogativâ donentur, niſi tutioribus quibusdam regulis „ inſiſtant, ſint pluribus erroribus obnoxii. En præcepta, quæ deindè proponit laudatus excellentioris omninò „ notæ Philoſophus, ut poſſit ipſa veritas detegi.

„ Primum eſt, ut nihil unquàm admittatur, tanquàm verum, niſi quod „ verum eſſe evidenter cognoſcitur: „ Hoc eſt, ſummâ cum cautione vitentur & præjudicata omnis opinio & „ animus in judicio ferendo nimiùm præceps, nihilque judicium complectatur, „ quàm quod ita clarè atque diſtinctè „ animo objicitur, ut de eo nihil quidquam poſſit ſupereſſe dubitationis.

„ Secundum, ut in conſiderandis tot „ claſſes diſtribuantur, quantùm poſſibile „ ac neceſſe eſt, quò faciliùs diſſolvantur.

„ Tertium, ut ejusmodi cum ordine „ ideæ dirigantur, ut fiat initium à ſimplicioribus & facilioribus objectis, aſcendendo paulatim & quaſi per gradus „ ad eorum cognitionem, quæ ſunt magis compoſita, adeò ut quidam ordo

„ concipiatur ac ponatur inter ea etiam „ objecta, quæ ſecùm invicem minùs „ naturaliter cohærent.

„ Poſtremum denique, ut fiant ubi- „ que enumerationes adeò integræ & „ recenſiones ita generales, ut ſit cer- „ tum, nihil penitùs omitti.

Quæ quidem Regulæ ſunt ingentis omninò utilitatis iis, quibus ſatis otii ſuppetit, quò queant cognitioni diverſarum veritatum animum intendere & ſcientiarum ſtudio vacare. At quoad Hominum vulgus, ſufficit lex in eorum animo à Naturâ inſculpta, ut poſſint primas veritates ſimul & ſemel attingere, quod in iis adeò intimum eſt, ut nunquàm contingat, ab iis eaſdem rejici, cùm attento ſunt animo. Nemo verbi gratiâ negabit, ſeſe cogitare, adeòque exiſtere; Impoſſibile, rem eandem ſimul eſſe & non eſſe; Totum eſſe ſuâ parte majus; Non aliis faciendum, quod nobis fieri nollemus, eoque principio & homicidium & adulterium prosùs interdici. Uno verbo cuilibet attendenti innoteſcunt & primaria naturalis Legis principia & eorumdem immediatæ conſecutiones. Quæ ratio eſt omninò potiſſima, quâ veritates majores & inquirantur & detegantur. Ejusmodi inquiſitio tota in noſtris manibus poſita eſt, nihil ferè laboris habet, eſtque ad omnium

nium captum accommodata; At neceſſe eſt, eos veritatis ſtudio teneri, & animum nec cupiditatibus abripi, nec corrrumpi vitiis.

CAPUT VIII.

De eo, quod Hominibus incumbit, defendendæ Veritatis *officio atque pro ejusdem deffenſione quidvis perferendi.*

Inter cætera, quæ propria ſunt hominibus officia, hoc potiſſimum atque primarium eſt, ut tueantur veritatem: Eandem nec diſſimulare poſſunt, nec derelinquere, cùm locus ejuſdem defendendæ ſeſe dat, quin proprius eos honor, propriaque conſcientia arguant. Suppetunt ex ipſâmet Hiſtoriâ prophanâ infinita propemodùm exempla conſtantiæ animique firmitudinis, quibus non tantùm Philoſophi, ſed etiam omnis cujuslibet ordinis atque conditionis Homines veritatem tuiti ſunt ac defenderunt, adeò ut acerbiora ſupplicia Mortemque ipſam perpeti maluerint, quàm ut eandem vel abſconderent, vel deſererent. Ejuſdem conſtantiæ exempla numero plurima paſſim occurrunt in Veteri Teſtamento, & inter alia, quæ de Eleazaro ac de Machabæis enarrantur, qui-

bus mori præſtitit, quàm ſuæ Legi vel etiam in aliquâ re deeſſe. Sed prætermiſſis iſtis exemplis, ſatis erit eo loci attigiſſe quod eâ de re invenitur ab ipſo J. C. Chriſtianis præſcriptum, quodque ab Apoſtolis & deindè ab innumerâ Fidelium multitudine ſummâ cum Religione fuit obſervatum.

Præviderat J. C. futurum, ut quam in mundum attulerat, veritas impugnaretur, & ejuſdem Defenſores omni genere vexationum exagitarentur: Ipſe ſuis Apoſtolis ac Diſcipulis iſtud prænunciavit, eoſque ſimul hortatus eſt, ut nihilominùs eandem tuerentur. *Abſque ſynagogis facient vos*: inquit, Sed *venit hora, ut omnis qui interficiet vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare Deo.* Eos adversùs hujuſcemodi caſus confirmat iſtis verbis: *In Mundo preſſuram habebitis; Sed confidite; Ego vici mundum.* Iiſdem verò minas intendit alibi: *Nam qui me erubuerit & meos ſermones*, inquit, *hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſuâ, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Eos denique monet, quid ſit eis potiſſimùm horrendum; *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: Timete eum, qui, poſtquàm occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam;*

Joann. 16. ℣. 26.

Luc. 9. ℣. 26.

Luc. 12. ℣. 4. & 5.

nam; Ita dico vobis, hunc timete. Quibus præceptis Apoſtoli inſiſtentes nec Evangelium promulgare, nec pro defenſione ipſius fundere ſanguinem erubuerunt. Paulò poſt mortem J. C. S. Petrus aliique Apoſtoli prædicantes in Templo, apprehenſi ſunt atque in vincula detruſi: Solemnem Fidei profeſſionem ediderunt coram Pontifice & Conſilio Judæorum; Virgis cæſi ſunt, ac deindè iis interdictum eſt, ne quidquam in nomine Jeſu deinceps loquerentur. Sic autem referunt Acta: ***Et convocantes Apoſtolos, cæſis denuntiaverunt, ne omninò loquerentur in nomine Jeſu, & demiſerunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Omni autem die non ceſſabant in Templo & circà domos docentes & Evangelizantes Chriſtum Jeſum.*** Quod quidem initium conſtantiæ ſtetit ad finem uſque vitæ Apoſtolorum, adeò ut omnes & S. Paulus qui fuit in eorumdem Collegium cooptatus, multa perpeſſi ſint pro veritate Evangelii, quod annunciabant, & plerique morte fuerint affecti, nihil ex cruciatibus mortiſque ſubeundæ aſpectu eorum magno fortique animo ſibi non conſtante. Quod fortitudinis exemplar primitivæ Eccleſiæ Chriſtianis animi roboriſque plurimum addidit: Indèque tot veritatis Martyres

Act. c. 5. ℣. 40. 41. & 42.

deinceps viſi ſunt, quibus potius fuit immanioribus vexari cruciatibus ipſamque perferre mortem, quàm veritatem ſive dictis ſive factis abnegare. Hoc in Eccleſiâ ut atrociſſimum crimen fuit ſemper habitum, quod vel erat Idololatria, vel poterat aliquam cum eâdem habere convenientiam. Quotquot verò ipſa Eccleſia tanquàm Martyres venerata eſt, magno conſtantique animo palàm ac publicè profeſſi ſunt, ſeſe in J. C. credere, nihil obſtantibus acerbioribus ſuppliciis, quibus toti dilacerabantur.

Nuſquàm licitum eſt proprios diſſimulare aut mentiri ſenſus in Materiâ Religionis, neç agere quidquam aut loqui quod oppoſitorum errorum innuat approbationem. Indè eſt, quòd Eccleſia priſtinis temporibus condemnaverit Libellaticos, hoc eſt eos, qui licèt in honorem Idolorum nihil perpetraviſſent ſacrificii, libellos à Magiſtratibus vel recipiebant, vel requirebant, quibus certum fiebat, eos cultui falſorum Numinum ſatisfeciſſe; Atque ii potiſſimùm ſunt, qui veniunt ſub propriâ Libellaticorum appellatione circumferendi, quemadmodùm Clerus Romanus in ſuâ ad S. Cyprianum Epiſtolâ interpretatur iſtis verbis: *Hoc nos non falsò dicere ſuperiores noſtræ literæ probaverunt, in quibus vobis ſententiam noſtram dilucidâ expoſitione protulimus*

Ep. Cler. Rom. ad S. Cyp. inter Cyprianicas 30.

tulimus adverſùs eos, qui ſe ipſos infideles illicitâ nefariorum libellorum profeſſione prodiderant, quaſi evaſuri irretientes illos Diaboli laqueos viderentur, quo non minùs quàm ſi ad nefarias areas acceſſiſſent, hoc ipſo quòd ipſum conteſtati fuerant, tenerentur; Sed etiam adverſùs illos qui accepta feciſſent, licèt præſentes cùm fierent, non affuiſſent, cùm præſentiam ſuam utique ut ſic ſcriberentur, mandando feciſſent. Non eſt enim immunis à ſcelere, qui ut fieret imperavit; Nec eſt alienus à crimine, cujus conſenſu, licèt non à ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur; & cùm totum fidei ſacramentum in Confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum, qui fallaces in excuſatione præſtigias quærit, negavit, & qui vult videri propoſitis adverſùs Evangelium vel Edictis, vel Legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo jam-paruit, quòd videri paruiſſe ſe voluit. Quanquàm verò Clerus iſte videatur eorum crimen, qui libellos recipiebant, exæquare cum eo, quo ſeſe ii conſtringebant, qui idolis vel tura ingerebant, vel deferebant cultum adorationis ſupremum, obſervat S. Cyprianus, crimen priorum non eſſe tantæ atrocitatis. Ne exiſtimaveris, inquit S. Doctor in Epiſtolâ ad Antonianum, quemadmodum putant aliqui, Libellaticos in eorum numerum eſſe reponendos, qui ſacrificarunt, quippè ſæpè ſæpiùs ſit diverſitas

diverſitas etiam inter poſteriores admittenda. Neque enim qui ſeſe protinùs ac ſpontè obtulit ad aras falſis Diis ſacrificaturus, ad eum accedere dici poteſt, qui poſtquàm diù reluctatus eſt ac reſtitit, tandem ceſſit, nec ulla inſtituenda venit comparatio inter eum qui tùm ſeſe, tùm ſuos nefariis ſacrificiis proſtituit, & illum qui ſeipſum periculo objiciens, mulierem, liberos totamque domum ſalvos præſtitit atque incolumes, nec denique poteſt ullâ ratione is qui amicos & hoſpites impulit in apoſtaſiam, comparari cum eo qui eoſdem ab ejus generis impietate alienos effecit, quique vel etiam apud ſe recepit plurimos è ſuis Fratribus qui propter ſuam in Fide conſtantiam aut fugerant, aut fuerant acti in exilium, ſic efficiens, ut eo modo offerret Deo tot animas viventes & ſanas, quæ pro unicâ ægrotâ atque ſauciâ deprecarentur. Concludit tandem S. Doctor iſtis verbis: *Cùm ergò inter ipſos qui ſacrificarint, multa ſit diverſitas, quæ inclementia eſt, & quàm acerba duritia Libellaticos cum iis qui ſacrificarint jungere? Quandò is cui Libellus acceptus eſt, dicat: Ego priùs legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram non ſacrificandum idolis, nec ſimulachra ſervum Dei adorare debere; Et idcircò ne hoc facerem, quod non licebat, (cùm occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum* *accipe-*

Ep. Cyp. ad Antonian. 55.

acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad Magiſtratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Nunc tamen etiam iſte qui libello maculatus eſt, poſteaquàm nobis admonentibus didicit, nec hoc ſe facere debuiſſe, & ſi manus pura ſit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen ejus eſſe pollutam; flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quàm errore deceptus, quod jam de cætero inſtructus, & paratus ſit, conteſtatur. Quorum ſi pœnitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum uxore, cum liberis quos incolumes reſervaverant, in hæreſim vel ſchiſma Diabolo invitante rapiuntur: Et adſcribetur nobis in die Judicii, nec ovem ſauciam curaſſe, & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe. Luc. 15. ℣. 4.

Quidam Autores ſunt qui duas Libellaticorum claſſes diſtinguunt, qui prorsùs ab iis ſunt diverſi, de quibus habuimus modò ſermonem, unam ſcilicet eorum, qui Magiſtratibus Paganis dabant libellos, quibus profitebantur, falſis Numinibus à ſeſe fuiſſe ſacrificatum, quanquàm non ſacrificaviſſent; Et alteràm eorum qui Jovis, Martis, aliorumque falſorum

falſorum Deorum imagines deferebant; At prædictæ neutrius claſſis ne vel leviſſimum veſtigium occurrit in Antiquitate. Hoc ſolum ex vetuſtioribus Monumentis habetur, nimirùm à quibusdam oblatam fuiſſe pecuniam vel pro accipiendis libellis, vel ut ſeſe venationibus eximerent. Atque illud omninò eſt, quod S. Cyprianus teſtatur, cùm dicit, *Cùm occaſio libelli fuiſſet oblata, datum fuiſſe præmium, ne quod non licet fieret*, hoc eſt, ut ejusmodi ratione nefariorum ſacrificiorum immunitas acciperetur. Et hoc ipſum condemnat Tertullianus vir ſummæ auſteritatis in libro, quem ſcripſit de Fugâ tempore ſævientis perſecutionis. *Ultrò igitur & de hoc tibi ſuggeram, definiens perſecutionem, quam conſtat non eſſe fugiendam, proindè nec redimendam. Cæterùm ſicut fuga redemptio gratuita eſt; Ita redemptio nummaria fuga eſt. Certè & hujus timiditatis conſilium eſt. Quod times, redimis; Ergò fugis. Pedibus ſtetiſti, curriſti nummis. Hoc ipſum quod ſtetiſti ex redemptione, fugiſti. Ut autem redimas hominem tuum nummis, quem ſanguine ſuo redemit Chriſtus quàm indignum Deo & diſpoſitione ejus, qui Filio ſuo non pepercit pro te, ut fieret maledictum pro nobis .... Tu autem pro eo paciſceris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præſide, ſub tunicâ & ſinu (quod aiunt) ut furtivo,* quem

quem coram toto mundo Chriſtus emit, immò & manumiſit. Hunc ergò liberum pretio æſtimabis, & pretio poſſidebis, niſi eodem; Quanto (ut diximus) Domino conſtitit, ſanguine ſuo ſcilicet? Ut quid ergò de homine Chriſtum redimis in homine, in quo Chriſtus eſt? Non aliter & Simon facere tentavit, cùm pecuniam Apoſtolis obtulit pro ſpiritu Chriſti .... Paulus quidem, cùm Felix Præſes pecunias accepturum ſe pro eo à Diſcipulis ſperaſſet, de quo & ipſe in ſecreto tractaverit cum ipſo, neque ipſe pro ſe, neque Diſcipuli pro eo numeraverunt. Illi utique diſcipuli, qui flentes quòd Hieroſolymam tendere perſeveraret, & perſecutiones prædicatas illic non præcaveret, poſtremò inquiunt, Fiat voluntas Dei.

De Libellaticis habito ſermone, eſt etiam de iis aliquid ſubjiciendum, qui ſub appellatione *Traditorum* ſolebant circumferri: Quod vocabulum eos potiſſimùm innuit, qui ſacros Codices tradebant comburendos. Ejus verò perſecutionis genus imperante ac ſæviente Diocletiano adinventum eſt. Advertentibus ſcilicet Paganis, Chriſtianos ejuſmodi ſacris Codicibus roborari atque impelli ad Religionem ſuam cum magno fortique animo vindicandam atque defendendam, in mentem venit, ſeſe pretium operis eſſe facturos, ſi codices iſtos ab iiſdem auferrent, eoque animo

ſancitum

ſancitum fuit, ut ipſi deponerentur apud Magiſtratus, quò deindè comburerentur, ita ferebatur in Edictis Dioletiani & Maximiliani. Ac primò quidem cæpit res executioni demandari aditu facto apud Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos & Lectores, qui apud ſeſe codices iſtos retinebant. Qui tradere detractabant, mittebantur in carcerem, & vel gravioribus pœnis, vel etiam morti addicebantur. Chriſtianorum domos Milites atque Accenſi percurrebant, ſecretiora perſcrutabantur, indèque auferebant non ſolos codices, ſed etiam ſacra vaſa tam aurea, quàm argentea, calices, lampades, aliaque eccleſiaſtica ornamenta, nequidem habitibus exceptis qui uſui Egenorum reſervabantur.

Hoc genus perſecutionis extrà Africam non videtur ita latè ſeſe extendiſſe, at in eâ Orbis parte ſæviit ut plurimùm. Multi non Chriſtiani modò laïci, ſed & Eccleſiaſtici atque Epiſcopi eò uſque ſeſe molles ac timidos exhibuerunt, quemadmodùm Optatus ait, ut & ſacros Codices & ſacra vaſa traderent : Et ejuſmodi indita fuit *Traditorum* appellatio. Alii verò eo zelo impulſi, qui non eſt ſecundùm ſcientiam, ultrò neque expectatâ ullâ interpellatione, accedebant ad Magiſtratus audacterque declarabant, apud ſe quidem exiſtere ſacros Codices,

ſed

ſed ſeſe nolle eoſdem tradere : Sapientiores autem & qui ſpiritum Religionis propiùs ſequebantur, Codices quidem & vaſa ſacra tradere detrectabant, cùm vocabantur atque interrogabantur; Sed abſtinebant omninò ab agendi ratione priorum, nec eò uſque ſibi ſumebant, ut ſponte irent declaraturi, apud ſeſe reperiri ejusmodi Codices. Animus non eſt ſingula dicendo perſequi, quæ pertinent ad Donatiſtarum Hiſtoriam, quam alibi fuſioribus verbis tractavi quantùm ad diſſidium, quod eos inter & Catholicos interveniebat, circà quæſtionem iſtam, nimirùm in quos potiſſimùm ex eis caderet ejusmodi criminis ratio; Illud obſervaſſe ſufficiet, inter utrosque conveniſſe, in eo admitti crimen prorsùs atrociſſimum. Verùm enimverò, cùm eò potiſſimùm Lex collimaret, ut Religioni Chriſtianæ vel detrimentum afferretur vel etiam excidium ex combuſtione ſacrorum Codicum, vaſorum atque ornamentorum, quæ poterant ipſius cultui deſervire; Manifeſtum eſt, eorumdem ſive ſpontaneâ ſive coactâ traditione Paganorum propoſito fuiſſe penitùs fautum, indèque plurimùm detrimenti Religioni illatum.

Denique tanto ſtudio primitivi Chriſtiani tenebantur Chriſtianæ veritatis defendendæ, adeòque horrebant quidquid

eidem poterat aliquatenùs obtrectare, ut omninò ea interdicere ſoliti eſſent, quæ vel minimè videbantur ab eâ aliena eſſe, qualia erant ſpectacula Paganorum, quæ ſuam originem ab idololatriâ ducebant, & in quibus mos erat falſis Numinibus ſacrificare, præſens adeſſe cæremoniis, quæ in Templis uſurpabantur, atque aliquid peragere, quod vel umbram poſſet referre commercii cum Paganis quantùm ad ea, quæ cultum eorum attinebant. Eodemque fundamento innixus ſummus Pontifex Clemens XI. noviſſimis iſtis temporibus ſolemni Bullâ omnibus & ſingulis Chriſtianis interdixit, ne Sinenſium Ritus obſervarent, neque eorum intereſſent cærmoeniis.

Nuſquàm ergò licet veritates Religionis abjicere neque verbis, neque factis, nec etiam alio quolibet exteriori ſigno, ex quo detur conjici, teneri partem eidem oppoſitam.

Ut autem diſcutiamus quæſtionem, quibusnam in caſibus neceſſitas urgeat defendendæ veritatis? Primo quidem loco ponimus illud cum S. Cypriano cæteriſque antiquis Patribus, licere nunquàm intempeſtivè atque ſine cauſâ ſeſe periculo committere. Quidam inter primitivos Chriſtianos inconſideratæ pietatis ſtudio abrepti neque ullâ eos urgente peculiaris neceſſitatis cauſâ, proſiliebant ad

Digitized by Google

ad Tribunalia ſeſe profeſſuri Chriſtianos. Ejus generis fervor omninò improbatur in Epiſtola Smyrmenſis Eccleſiæ de Martyrio S. Polycarpi, ibidemque narratur, quemdam nomine Quintum & aliquos alios in eo perperàm prorsùs egiſſe & periculo ſeſe præcipiti nimis audaciâ objeciſſe, quòd Judices ſpontè adiverint ſeſe declaraturi Chriſtianos: *Quintus quidam natione Phryx, qui nuper ex Phrygiâ advenerat, cùm feras & quæettereà intentabantur, tormenta vidiſſet, fracto animo expavit, tandemque vitæ retinendæ ſtudio ceſſit. Hic porrò Quintus, ut in eâdem Epiſtolâ docetur, temeritate quâdam ac levitate ductus, non cum pio ac religioſo metu, unà cum aliquot aliis ad Tribunal proſiluerat: Sed continuò captus, illuſtre documentum omnibus præbuit, ne præcipiti audaciâ ſine ullo infirmitatis ſuæ reſpectu hujuſmodi periculis ſeſe objicerent.* S. Cyprianus Chriſtianæ prudentiæ regulis inſiſtens, quorumdam Fidelium inconſultum fervorem repreſſit, qui pro ſuo ſtudio ergà Confeſſores in vinculis detentos, volabant magno cum concurſu ad carceres, ut eoſdem inviſerent: Sic autem eâ de re S. Martyr mentem exprimit: *Peto quoque ad procurandam quietem ſolertia & ſollicitudo veſtra non deſinat. Nam etſi Fratres pro dilectione ſuâ cupidi ſunt ad conveniendum & viſitandum Confeſſores bonos, quos*

Ex Euſeb. lib. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 15.

Epiſt. 5.

 illuſtravit

illuſtravit jam glorioſis initiis divina dignatio, tamen cautè hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul junctam puto eſſe faciendum, Ne ex hoc ipſo invidia concitetur & introeundi aditus denegetur, & dùm inſatiabiles multum volumus, totum perdamus. Conſulite ergò & providete, ut cum temperamento hoc agi tutiùs poſſit, ita ut Presbyteri quoque qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent: Quia & mutatio perſonarum & viciſſitudo convenientium minuit invidiam. Circà omnia enim mites & humiles, ut ſervis Dei congruit, temporibus ſervire & quieti proſpicere, & plebi providere debemus.

Secundò dicimus, cùm imminet in aliquo loco perſecutionis furor, neque ullum urget officium ibidem conſiſtendi, fugiendo poſſe vitari perſecutionem: Quod conſilium ipſe J. C. ſuis Apoſtolis dedit verbis iſtis; *Cùm autem perſequentur vos in Civitate iſtâ, fugite in aliam.* Addunt quidam Manuſcripti Codices vetuſtiores Græci; *Si verò vos iterùm in iſtâ ſecundâ Civitate perſecuti fuerint, fugite iterùm in aliam.* Adeòque generalis perſecutionis fuga nullâ ratione prohibetur. Quin etiam J. C. & ipſius Apoſtoli fugam ceperunt, ut ſeſe perſecutionibus ſubriperent: Atque in primis Eccleſiæ ſæculis infinita propè leguntur exempla

Matth. c. 10. ℣. 23.

Chriſtia-

Chriſtianorum, qui ſævientis perſecutionis temporibus aut latitarunt, aut conſederunt in ſolitudinibus, quibus tamen proditæ Religionis crimen numquàm injectum eſt. Nihilominùs librum ex profeſso ſcripſit Tertullianus, ut probaret, non debere Chriſtianos fugere tempore perſecutionis, materiamque iſtam fuit pro ſolitâ ſuâ nimiâ animi aſperitate, proſecutus : S. Cyprianus, quanquàm ipſius Diſcipulus ſed multò moderatior, fugam nedùm improbaverit ſæviente perſecutione, quin immò in eandem ſeſe ipſemet convertit atque ſeſe ſubmovit à Civitate Perſecutorum, ne ſuam Eccleſiam perſecutioni generali exponeret; Et nunquàm in Eccleſiâ dubium fuit, quin liceret fugiendo ſe à perſecutione facere eximium. Verùm agnoſcendum eſt iſtam fugiendi libertatem non omnibus omninò fidelibus perindè relictam eſſe. Incumbit Epiſcopis atque Paſtoribus tempore perſecutionis audacter perſtare, quò Gregi ſuo ſubvenire poſſint, niſi ex eorum commoratione locus daretur aut ſæviendi, aut etiam accreſcendi ſævitiæ furorem, neque aliundè poſſet conſuli Dominico Gregi, relinquendo apud eum numerum quemdam Paſtorum, à quibus ſupplerentur vices abſentium, qui redirent in idem munus ſucceſſuri, cùm contigiſſet, priores Martyrium fuiſſe pepeſ-

ſos: Neque enim Chriſtiana patientia ſinit, omnes exponi ſimul Eccleſiæ Paſtores, ne iiſdem extinctis, Dominicus Grex orphanus planè derelinquatur. Atque in eo caſu poteſt eſſe locus inter Paſtores mutui cujuſdam charitatis certaminis circà quæſtionem qui ſint ex eis remanſuri, qui verò diſceſſuri.

S. Aug. in Joann. Evang. c. 10. tr. 46. Regulas tradidit S. Auguſtinus ut ſapientiſſimas, ſic etiam certiſſimas de eâ, quàm in ejusmodi caſibus ſequi convenit agendi ratione. Primò quidem tanquàm generale principium ſtatuit, juxtà factam ab ipſo J. C. licentiam ſæviente perſecutione poſſe fugi abſque ullâ Mercenarii animi exprobatione, modò nihil in eo attendatur, quod habeat aut humanæ gratiæ reſpectum, aut reditum lucri temporalis: Principium autem iſtud comprobat atque ſuffulcit exemplo J. C. & Apoſtolorum; Sed illud imprimis monet, nequaquàm eo animo fugiendum, ut fides deſereretur, ſi ſeſe daret reſpondendi neceſſitas. Idem Ep. ad Honorat. nunc 228. Secundò non conſilium modò aſſerit, verùm & præceptum eſſe fugiendi, quandò is qui ſe in alium locum recipit, præcipuum eſt objectum perſecutionis. Tertiò putat, expedire prorsùs, ut una pars Clericorum fugiat, cùm adeſt, undè timeatur, ne totus Clerus perſecutione pereat, modò tamen ab iis qui commorantur Miniſterium perfici poſſit.

Quartò,

Quartò, ſi neceſſitas urgeat, obligari Miniſtros ad remanendum, atque ad adminiſtranda ſacramenta. Quintò, Laïcos poſſe & ſeipſos & ſuos Epiſcopos abſcondere. Sextò, nunquàm licere, ut Epiſcopi cæterique Paſtores ſuum Clerum derelinquânt, cùm nullus ſupereſt, à quo ſubſidium poſſit recipere. Septimò, contingente caſu, quo videatur ipſius Eccleſiæ cauſæ plurimùm intereſſe, ut quidam diſcedant, quò poſtmodùm revertantur plebi Chriſtianæ ſubventuri, aut ſi accidat, eos qui remanent, eſſe peremptos, vel in eo ſtatu poſitos qui jam non permittat, eos poſſe Gregi adeſſe, & ex charitatis animo decertetur volentibus omnibus remanere, tunc ſorti committendum, ut diſceptatio decideretur & definiretur quinam remanerent, quinam verò abirent. Octavò, in nullâ quâcumque occaſione oportere, ut propter fugam Paſtoris ceſſet Miniſterium, quod Eccleſiæ neceſſarium eſt, neque debere ullum quemquam cujuſcumque ſit ordinis, ab iſtâ regulâ ſeſe efficere eximium. Nonò, non eſſe, undè in ejuſmodi occaſione metuatur, ne populus decipiatur & fugiendi non capiat conſilium, propterea quòd videat Epiſcopos atque Clericos remanere, ſed ſic ei dicant opus eſt, non Noſtri ſed Veſtri gratiâ commoramur, nimirùm ut vobis ea adminiſtremus quæ

H 4 neceſ-

neceſſaria ſunt ad ſalutem : Si vultis & vos diſcedere, jam vinculum, quo ligabamur, ſolvitis. Decimò, à Clericis nequidem iſtud eſſe declarandum, niſi cùm vident expedire, ut in alium tutiorem locum diſcedatur, Paſtoribusque neceſſitatem incumbere remanendi apud Gregem, quandò Laïcis obfirmatum eſt commorari. Undecimò, Laïcis autem ſeſe aliò recipientibus, Clericos jam non obligari ad remanendum, quippè qui nonniſi Laïcorum causâ commorarentur. En quas eâ in materiâ S. Auguſtinus regulas præſcribit in ſuâ ad Honoratum epiſtolâ.

Indè patet, eò uſque Paſtores teneantur officio defendendæ veritatis & quibusnam in caſibus fugæ ſeſe mandare poſſint. Neque verò ſolos Paſtores urget neceſſitas vindicandæ atque tuendæ veritatis, quin etiam ad omnes omninò Fideles ſeſe generatim extendit; Ubicumque enim manifeſtum eſt, impugnari fidem in iis Articulis, quorum explicita cognitio neceſſaria eſt ad ſalutem, tunc *omnis homo miles.* Occurrunt autem in antiquis Monumentis exempla plurima laudabilis conſtantiæ Laïcorum qui in ejusmodi caſibus audacter ac firmo animo reſtiterunt : Unum attuliſſe ſufficiet quod exemplum eſt Cleri populique Conſtantinopolitani qui inſurrexerunt in Neſto-

Neſtorium ejuſdem Eccleſiæ Patriarcham, quòd concionem habendo negaviſſet Virginem eſſe Deiparam; Quorum zelum ſummus Pontifex Celeſtinus multùm laudavit ſic exclamans, *Beatus Grex qui novit de paſcuis judicare.* Verùm ut juxtà ordinem procedat ejusmodi Clericorum Laïcorumve reniſus adversùs decreta ſuorum Præpoſitorum atque ipſius etiam Romani Pontificis, primum omnium opus eſt, agi de materiâ, quæ Fidei Eccleſiæ manifeſtè prorsùs adverſetur; Neque enim ad Clerum, nec ad populum ullâ ratione ſpectat, ut judicet de perverſis moribus, qui poſſent Paſtori cuidam exprobari. Eſt toleranda veritas, inquit Gothfridus Vindocienſis ſcribens ad Pontificem Paſchalem III., perferendus autem Paſtor, ſi ſit vir moribus depravatis: At, ſi contigerit, eum errare in fide, jam definit eſſe verus Gregis Paſtor, eidemque fit infenſiſſimus hoſtis, & in eo caſu poſtremus inter Fideles, etiamſi peccator publicus, jure poteſt in eum inſurgere; *Licet enim ſecundùm ſanctorum decreta Romanorum Pontificum, etiam meretrici, communem Eccleſiæ fidem, quam ſuam credit & confitetur, defendere.*

Quintum Concilium, quod ſub Symmaco ſedem Apoſtolicam occupante eodemque Præſidente Romæ habitum eſt, & aliud Concilium actum Aquisgrani anno

no 816. ſtatuunt etiam, jus ovibus competere arguendi Paſtorem, quandò errantem in fide reperiunt.

2. Præſcriptis humanis, quæ Legi Divinæ diſſentiunt, nihil eſt adhibendum obedientiæ. *Sanè hoc advertendum,* inquit S. Bernardus, *quòd quædam ſunt pura bona, quædam pura mala, & in his nullam deberi hominibus obedientiam; Quoniam nec illa omittenda ſunt, etiam cùm prohibentur, nec iſta, vel cùm jubentur, committenda. Porrò inter hæc ſunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore vel perſonâ, & mala poſſunt eſſe, & bona; Et in his lex poſita eſt obedientiæ tanquàm in ligno ſcientiæ boni & mali, quod erat in medio Paradiſi. In his profectò fas non eſt noſtrum ſenſum ſententiæ præſcribere Magiſtrorum; In his omninò Prælatorum nec juſſio, nec prohibitio contemnenda.* Quam ſententiam S. Doctor vult extendi non ſolùm ad decreta præceptaque Abbatum & Epiſcoporum, ſed etiam ad ipſa ſancita Romani Pontificis, eâque de cauſâ addit; *Quomodò ergò vel Abbatis juſſio, vel Papæ permiſſio licitum facere valuit, quod malum fuit.*

S. Bernard. Ep. 7.

3. Cùm jam conſtet, veritatem nec oportere prodere nec diſſimulare, neque etiam ulli præcepto obediendum, quod à verbo Dei alienum ſit, eſt nunc diſcutiendum, quandònam poſſit adhiberi ſilentium, quandò autem neceſſitas incum-

bat

bat è ſilentio prorumpendi ad loquendum, & quos potiſſimum urgeat iſta palàm & apertè manifeſtandi ſenſûs interioris neceſſitas. Circà quam quæſtionem dicimus, futurum, ut Canonici, Preſbyteri, cæterique Clerici obligarentur, ad voces ad æthera effundendas, ſi eorum Epiſcopus aliquid falſi doceret, quod eſſet à Fide devium, & Epiſcopi, quibus ex proprio caractere competit eſſe judices Doctrinæ, tenerentur etiam ad impugnandas ſummi Pontificis conſtitutiones, quæ à Fide atque à veritate abhorrerent, & quas in Eccleſiâ recipi juberetur: In iſtis caſibus ex ſilentio conjici poſſet, ejuſmodi Decreti præberi conſenſum & approbationem; *In his cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas*, inquit Celeſtinus Papa. Cui ſententiæ conſonant Juris Regulæ, quæ ſequuntur: *Conſentire & non contradicere paria ſunt. Tacens & diſſimulans habetur pro conſentiente; Taciturnitas æquipollet conſenſui.* Ejus generis ſilentium non tamen eſt pro poſitivo conſenſu ſemper accipiendum, indè etenim alterius erroris occaſio daretur: At legitimè infertur ex prædictis Regulis, eos qui tacent, cùm ad loquendum tenentur, & graviori conſtringi culpâ, & in ſuſpicionem venire non omninò rejiciendam.

4. Quanquàm Laïcorum non ſit de veritatibus fidei judicare, nihilominùs cùm

cùm eam apertè ſentiunt impugnari quoad Articulos, quorum cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem, cùm eorumdem doctos atque intelligentes eſſe neceſſe ſit ſub interminatione ſuppliciorum æternorum, de eo conqueri ätque expoſtulare jus eorum & arbitrium eſt, nec diſſimulare poſſunt, quin ſeſe culpæ gravioris conſcios efficiant.

5. Agendum ex præſcripto Juri adversùs Decreta Epiſcoporum ſeu Romanorum Pontificum, quæ fidei vel veritati diſſentirent : Ea autem eſt norma Juris, ùt primùm à diſſuaſionibus initium fiat, 2. ſi nolint iiſdem deferre, res agatur apud ſuperius Tribunal, Univerſalem Eccleſiam & apud generale Concilium eandem repræſentans. Non quòd Homini privato relicta ſit provocandi facultas, quandò Eccleſia Univerſalis ſupremo judicio definiit, aut ſuorum Præpoſitorum reſiſtendi Conſtitutis; At, ſi pluribus Epiſcopis ejusmodi provocatio videretur expeditior, in eamque iidem deſcenderent, abſque dubio Clero Populiſque omninò liceret iis provocantibus adhærere.

Huc uſque neceſſitatem defendendæ veritatis non attigimus, niſi quatenùs ordinem ſeu reſpectum habet ad Religionem. Exiſtimaverit forſitan aliquis, ita rem ſeſe non habere quantùm ad alias diverſi

diverſi generis veritates, eſſeque prorſùs indifferens, quòd quælibet pars teneatur ſive vera, ſive falſa in iis, quæ pertinent vel ad ſcientias, vel ad Hiſtoriam. Contrà quam ejusmodi opinionem reſpondeo, veritati non minùs, quàm cuivis alii virtuti licere remittere nuntium; veritati apertæ contradicere, eamdemque negare, unum idemque ferè eſſe genus criminis, venireque prorsùs improbandos coram Deo & Hominibus eos, qui docerent vel proferrent aliquid, quod putarent veritati nullatenùs eſſe conſonum. Quoad Scientias, quibus officium concreditum eſt earundem docendarum, eos convenit veritatis ſic eſſe tenaces, ut ab eâdem ne quidem in levioribus nunquàm deſciſcant: Si verò Diſcipuli adverterent, ſibi à Magiſtro erroris aliquid propinari, verbis ejuſdem nihil fidei debent adhibere, ſed amplecti veritatem, quæ iis adeò fœliciter elucet, præſertim cùm nihil indè metuendum eſt, perturbationis in Imperium redundare. Hiſtoriæ ſcriptori incumbit nihil niſi veri tradere non modò, ſed & omnes proferre veritates, cùm omnium intereſt, eaſdem pervulgari. Nec oportet, ab ipſo vel propter autoritatem, vel ex aſſentatorio obſequio quidquam aut ſilentio prætermitti, aut diſſimulari; Si verò quid falſi inſinuaverit, prævaricationis omninò damnandæ venit arguendus.

dus. Ita pronunciandum eſt de cæteris quotquot ſunt vitæ Inſtitutis, niſi fortè ſe dederint occaſiones quædam, in quibus velit prudentia, taceri veritatem. At nuſquàm licet ulla mendacia proferre, ut in operis decurſu demonſtrabimus.

Non poſſum ibidem non referre jusjurandum, quo nos Doctores Facultatis Theologiæ Pariſienſis adſtringimus in ipſo Altari Martyrum apud Metropolitanam Eccleſiam Pariſienſem, ſcilicet, *nos fore veritatem defenſuros ad effuſionem uſque noſtri ſanguinis*: Quod jusjurandum omnium quotquot ſumus, ob oculos ità ſemper obſervari debet, ut nec metu, nec ſpe ſinamus nos abripi in ſententias, quæ veritati adverſentur, nec ab iis dimoveri, quas poſt diligentem inquiſitionem abſque ullâ præjudicatâ animi opinione & pro virili parte factam, eidem veritati conſentire jure cenſemus.

CAPUT IX.

Eorum exempla qui vel defenderunt VERITATEM, *vel eidem defuerunt.*

PRimus omnium in terris, qui veritatem abſcondit & introduxit mendacium, Diabolus eſt verſus in formam ſerpentis, qui quidem plurima falſa commentus Evam ſeduxit, primo loco mentiendo;

tiendo, Deum interdixiſſe Adamo atque Evæ, ne comederent ex omni ligno Paradiſi: Quem protinùs Eva falſi convicit reponendo, ſibi ipſi ſuoque Marito libertatem relictam fuiſſe de fructu lignorum, quæ erant in Paradiſo, veſcendi, excepto fructu ligni, quòd attollebatur in medio Paradiſi, quodque tangere fuerat ſibi interdictum, ne fortè mortem obirent. Indè ſerpens occaſionem capiens, plurima alia falſa addidit, Mulierique omni aſſeveratione affirmavit, nequaquàm futurum, ut propterea moreretur, quòd de ejusmodi ligno comediſſet: Quin etiam auſus eſt dicere, Deum ſcire, futurum è contrariò, ut in quocumque die ex eo comediſſent, eorum aperirentur oculi, atque evaderent ſicut Dii ſcientes bonum & malum: Quod eſt omnium, quæ poſſunt conflari, inſigniſſima ſycophantia, cujus autor fuit Diabolus. Neque verò mirum videri debet, quòd veritati inimiciſſimus hoſtis, *mendax ab initio*, falſa iſta inſinuaverit, ut Evam deciperet, & ejuſdem poſtmodùm veſtigiis alii Dæmones inſtiterint, ut ſuis mendaciis homines inducerent in perniciem. Geneſ. 3.

Non potuit Adam ejusmodi perferre mendacium, Deoque exprobranti, quòd fructum Arboris manducaviſſet, quem prohibuerat, ne comederet, culpam bo-

nâ fide confeſſus eſt, eam tamen ſic rejiciens in Evam: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Ipſa quoque Eva confeſſa eſt culpam, quam in Dæmonem tranſtulit: Interrogantique Domino, quare hoc feciſſet, ita reſpondit, *Serpens decepit me & comedi.*

Abraham egreſſus eſt de terrâ & cognatione ſuâ, ut fidem veritatemque defenderet, quas palàm amplecti prohibebatur in Civitate Ur Chaldæorum, in quâ commorabatur ipſius Pater qui ſicut cæteri Pagani, cultui falſorum Numinum totus addicebatur.

Nullus eſſet ſcribendi finis, ſi vellemus tùm ex Veteri, tùm ex Novo Teſtamento eorum exempla colligere, qui vel veritatis tenuerunt partes, vel eandem objecerunt: Quantùm ad priores, omnium loco unum erit exemplum Machabœorum & celeberrimi Elazari, qui debent omnibus eſſe documento, quantâ cum animi conſtantiâ defendenda ſit vindicandaque veritas. Septem Fratres, qui ſub appellatione Machabæorum pervulgantur, in ipſo ſuæ ætatis flore tormenta mortemque maluerunt perferre, quàm ut aliquid agerent adversùs ſuam Legem, ad quam rem eos vel ipſorum Mater fuit validioribus verbis exhortata: Eorum verò verba ita commovendis animis idonea

nea ſunt, adeòque faciunt ad propoſitum noſtrum, ut eadem omittenda nequaquàm exiſtimemus. Primus eorum, omniumque natu Maximus in ipſis mediis poſitus tormentis ſic Antiochum affatus eſt; *Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori, magis quàm patrias Dei Leges prævaricari.* Quem quandiù Tortores cruciabant, cæteri unà cum Matre ſeſe invicem hortabantur, ad mortem forti cum animo ſubeundam, dicentes: *Dominus Deus aſpiciet veritatem & conſolabitur in nobis, quemadmodùm in proteſtatione Cantici declaravit Moyſes; Et in ſervis ſuis conſolabitur.* Secundus, quem interrogabant, nùm nollet carnes ſibi appoſitas manducare, potiùs quàm in toto corpore per ſingula membra dilacerari, audacter reſpondit, Non faciam, & idem tormentum, quod primus, pertulit: *Et in ultimò ſpiritu conſtitutus, ſic ait* Regi; *Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis: Sed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectionem ſuſcitabit.* Tertius cum fiduciâ ſic locutus eſt: *E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.* Quartus altiſſimâ voce dixit; *Potius eſt ab Hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterùm ab ipſo reſuſcitandos: Tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Quintus iiſdem, quibus cæteri, tormentis extortus

Machab. 2. Cap. 7.

torſus iſtis verbis compellatus eſt Regem: *Poteſtatem habens, cùm ſis corruptibilis, facis quod vis; noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum. Tu autem ſuſtine patienter, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te & ſemen tuum torquebitur.* Sextus ſermonem iſtum propemodùm habuit: *Noli fruſtrà errare*, ait Regi; *Nos enim propter nosmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum, & digna admiratione facta ſunt in nobis. Tu autem ne exiſtimes tibi impunè futurum, quòd contrà Deum pugnare tentaveris.* „ Suprà modum „ autem Mater mirabilis, & bonorum me- „ moriâ digna, quæ pereuntes ſeptem fi- „ lios ſub unius diei tempore conſpiciens, „ bono animo ferebat propter ſpem, quam „ in Deum habebat, ſingulos illorum „ hortabatur voce patriâ fortiter, repleta „ ſapientiâ & fæmineæ cogitationi maſ- „ culinum animum inferens dicit ad eos: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis, neque enim Ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi; Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & ſpiritum vobis iterùm cum miſericordiâ reddet & vitam, ſicut nunc vosmetipſos deſpicitis propter leges ejus.* Ipſa reſpuit promiſſa Regis, qui eam multis verbis hortabatur, ut natu-minimum induceret ad diſcedendum de

pro-

propoſito, atque eidem è contrariò animum addens ſic ait; *Fili mi miſerere mei, quæ te in utero novem menſibus portavi & lac triennio dedi & alui & in ætatem iſtam perduxi. Peto, Nate, ut aſpicias ad cælum & terram & ad omnia, quæ in eis ſunt & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus. Ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum; Sed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, ut in illâ miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.* Cùm hæc illa adhuc diceret, exclamavit adoleſcens: *Quem ſuſtinetis? Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſen .... Ego autem animam & corpus meum trado pro patriis Legibus, invocans Deum maturiùs genti noſtræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri, quòd ipſe eſt Deus ſolus.*

Alterum, quod quantùm ad Vetus Teſtamentum pertinet, ſatis erit addidiſſe, exemplum eſt Eleazari, qui primum locum tenebat inter legis Doctores, atque, ut loquitur ſcriptura, *unus erat de primoribus ſcribarum*: Cùm autem Antiocho deſtinatum fuiſſet, quidlibet tentare, ut Judæi inducerentur, ad abjiciendam ſuam Religionem, vis etiam adhibita eſt, ut venerandus admodùm ſenex ad manducandam porcinam carnem cogeretur: *At ille glorioſiſſimam mortem, magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat* Machab. 2. cap. 6.

ad ſupplicium. Intuens autem quemadmodùm oporteret accedere, patienter ſuſtinens, deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem: Hi autem qui aſtabant, iniquâ miſeratione commoti propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecretò, rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, ut ſimularetur manducaſſe, ſicut Rex imperaverat, de ſacrificii carnibus. Ut hoc facto à morte liberaretur, & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ converſationis actus, & ſecundùm ſanctæ & à Deo conditæ legis conſtituta, reſpondit citò dicens: Non enim ætatis noſtræ dignum eſt, inquit, fingere, ut multi Adoleſcentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum, tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam, etſi in præſenti tempore ſuppliciis Hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam: Quamobrem fortiter vitâ excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo, adoleſcentibus autem exemplum fortè relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro graviſſimis legibus honeſtâ morte perfungar; His dictis confeſtim ad ſupplicium trahebatur.

Si

Si deſideraremus eorum exempla, qui Religioni defuerunt veteris Legis temporibus, profectò plurima ſeſe offerrent: Mathan, Manelaüs, Jaſon, aliique multi ad Caïpham uſque defectionis ejusmodi totidem exemplaria ſunt; At juvat potiùs, quantùm poſſumus funeſtos ejus generis lapſus oblivione Hominum ac taciturnitate tegi, ut animus in iis totus eſſe poſſit, quæ habebunt bonorum exemplarium rationem, & manifeſtiſſimam efficient eam animi conſtantiam, quâ multi in defendendâ veritate ut plurimùm inclaruerunt.

Cujus animi conſtantiæ documentum eſt eximium J. C. Magiſter noſter, cujus veſtigiis omnis Chriſtianus debet incedere: Neque enim aliam ob rationem fuit per totum vitæ ſuæ tempus paſſus ac tandem affixus cruci, quàm propter cauſam veritatis. Apoſtoli, quos miſerat ad diſſeminandam terrarum ubique divinam ſuam Doctrinam, quæ tota erat ipſiſſima veritas, omnimodis patuêre perſecutionibus & ipſam etiam mortem ſunt perpeſſi, ut eandem annunciarent: Eorum nullus Evangelium erubuit, & quibus præluxerunt, excellentioribus exemplis plurimi Diſcipuli ſuam poſtmodùm conformaverunt agendi rationem. Tandem primæva Eccleſiæ tempora offerunt infinitam Martyrum multitudinem, qui ſe-

ſe dirioribus tormentis cruciari, ipsâque morte affici maluerunt, quàm ut agerent aut loquerentur aliquid, quod poſſet ſuam Religionem ac fidem vel etiam in levioris umbram diſcriminis adducere. Quandò interrogabantur: *Eſtiſne & vos Chriſtiani?* Reponebant, *Etiam, Chriſtianus ſum.* Cùm ab iis quærebatur, *quid eſſet Chriſtiana Religio*, audacter loquebantur & quod interiùs credebant, omnibus ſine fuco aperiebant. Si in eos accuſatio conflaretur, quaſi forent Imperio inimiciſſimi, criminationem repellebant ac ſeſe profitebantur Principi obedientiſſimos, adeòque perperàm prorsùs objici ſibi crimen Imperii contendebant. Sic conſueverant Martyrum plerique interrogantibus reſpondere ac declarare quod intùs animo gerebant: Si quis eos rogaret, ut ſuam Religionem non modò deſererent, ſed vel etiam diſſimularent, aut quibusdam ſignis innuerent, ſe ſacrificaviſſe; Si verbis adhibitâ vi cogerentur ad incenſum falſis Numinibus offerendum, vocibus ad æthera effuſis palàm ac publicè denuntiabant, ſeſe ejusmodi ſacrificiorum nullatenùs eſſe participes, quidquid violentiæ ſibi fuiſſet illatum, ut iis immiſcerentur. Quibus in caſibus ad eos non incongruè poteſt accommodari quod quidam Antiquus obſervabat, ***Manum quidem crimine fœdari, ſed animum voluntatemque***

que longè longiùs eſſe ab omni ratione criminis.

Ab illis miſerrimis Chriſtianis animum & cogitationem avocemus, qui vel ex metu pœnarum, vel temporalium bonorum intuitu abjecêre veritatem: Quorum quidem exempla nimis frequentiora occurrunt in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quæ convenit æterno ſilentio opprimi, & ex quibus arguitur, quanta ſit Hominis infirmitas, quandò ceſſat auxilio divino ſuſtentari. Victrix J. C. gratia Martyres effecit, hæc eadem Apoſtatis, quanquàm Chriſtianæ Religionis aſſeclis, defuit. Gratiis equidem quibusdam adjuti fuerant, quas iis Deus largitus erat; At perſeverantiæ finalis donum non adfuerat. Neque tamen, quòd lapſi ſint, minùs damnandi ſunt coràm Deo, quippè ſibi ipſis imputare debeant, quòd ceciderint. En ſequitur exemplum prorsùs inſigne conſtantiæ, lapsûs, ac pœnitentiæ plurium Chriſtianorum, quod refertur à Scriptoribus Eccleſiaſticis in Hiſtoriæ fragmento quod ſubjicitur. „ Porrò Tyrannus (Julianus), inquit Theodoretus, aliud prætereà adversùs pietatem „ excogitavit: Nam, cùm ex veteri more aurum militaribus turmis divideret, „ ipſe quidem in regali ſolio reſidebat; „ Sed præter morem, aram cum foculo „ & thus ſuper mensâ juxtà aram apponi „ cura- Theodor. l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 16. & 17.

„curavit, juſſitque, ut ſinguli, priùſquàm „aurum acciperent, thus aræ imponerent, aurum deindè ex manu ipſius ſumerent, Militibus innuebatur, in eo „nihil aliud eſſe quàm veteris cujuſdam „conſuetudinis inſtaurationem, quantùmque conjicere eſt, nullum Idolum „videtur altari ſuperpoſitum fuiſſe. At„que hanc fraudem plerique haud animadverterunt; Sed qui eam præſenſerant, morbo ſimulato, diros illos laqueos effugerunt. Quidam tamen, præ „nimia auri cupiditate, ſalutem ſuam neglexerunt; Nonnulli pavore atque „ignaviâ pietatem prodiderunt.

„Atque ita, inquit S. Gregorius, Exercitus qui totum orbem Imperio Romano ſubjecerat, exiguo foculo auro at„que incenſo pauciſſimis diebus totus ferè proſtratus eſt, & miſerrimi iſti milites „oſculando manum Imperatoris, ipſam „propriarum animarum Tortoris atque „interfectoris manum deoſculati ſunt. „Quod quidem artificium eò uſque fuit „eis funeſtum, ut plerique in malum ſemel inducti, ſuam imprudentiam habuerint tanquàm legem, à quâ vel minimùm recedere nefas ducebant, maluerintque ſeſe perniciei dedere, quàm „ut ad ſalubrem pœnitentiæ pudorem „reverterentur. Pauciſſimi, juxtà Sozomenum, agnitâ fraude quæ ſuis ani„ma-

„ mabus intentabatur, adeò proprii ſui „ commodi obliti fuerunt, & incen- „ ſum aræ imponere & aurum de manu „ Principis accipere detrectaverint.

„ Alii quidam nihil in eo ſubodoran- „ tes mali, quod à ſeſe fuit exactum om- „ ninò fuerunt executi. Poſt funeſtam „ hanc pecuniæ diviſionem, quidam ex „ iſtis poſtremis qui aurum acceperant, in „ convivio quodam ſimul diſcumbebant: „ Horum unus ſumpto in manu poculo, „ non priùs bibit, quàm ſalutari ſigno po- „ culum ſignaſſet, & invocaſſet nomen „ J. C. Cùmque unus ex convivis eum „ objurgaſſet, dixiſſetque, id contrarium „ eſſe ei, quod paulò antè ab ipſo fac- „ tum fuiſſet, quæſivit ille quid ab ipſo „ geſtum eſſet, quod is contrarium ap- „ pellaret; Ille aram, thus & abnega- „ tionem fidei commemoravit, hæc enim „ Chriſtianæ Religioni contraria eſſe. „ Quibus auditis, complures ex convivis „ ejulare ac lamentari cœperunt, avulſiſ- „ que ex capite capillis, ſtatim è convi- „ vio ſurrexerunt, & per forum diſcur- „ rentes, altiſſimâ voce clamaverunt: *Chriſtiani ſumus, talesque nos eſſe toto corde profitemur: Quam profeſſionem noſtram volumus ab omnibus audiri, eamque potiſſimùm dignetur acceptam habere ille Deus, pro quo toti vivimus & parati ſumus mori. Profectò non ejuravimus beatam illam confeſſionem,*

quam egimus in Baptiſmo. Si quid peccavit manus noſtra, voluntas nihil omninò conſentit. Ipſius Imperatoris fraude decepti ſumus, neque nos eò uſque præſtrinxit auri cupido atque nos offendit, ut induxerit ad tantum nefas. Procul à nobis abjicimus horrendam adeò impietatem, quam expiare ſumus parati proprioque ſanguine etiam abſtergere.

Eos longiùs abripuit acerrimus, quo meritò tenebantur, communis lapsûs dolor: Prorumpentes etenim ad Julianum projicientesque ad ejus pedes cum generoſo faſtidio aurum, quod ab eo ſumpſerant, hæc vociferati ſunt: *Quod dediſti nobis, Imperator, donum non eſt, ſed ſententia, quæ morti nos addicit: Retine munera tua liberalitatesque tuas pro tuis militibus, nosque jube ſacrificari atque devoveri J. C. quem unicum noſtrum Regem habere volumus. Serva tuum aurum iis, quos non pœniteat de manu tuâ illud ſumpſiſſe. Nobis unus ſufficit J. C. omniumque loco ſolus nobis eſt.* „ Sic palinodiam canentes & pugnam, in „ quâ per imprudentiam victi fuerant, „ redintegrare poſtulantes, rogabant, ſe in „ ignem conjici, ut per ignem polluti, „ alio igne purgarentur; „ Intereàque ſocios ſuos hortabantur, ad agnoſcendam fraudem, quâ fuerat illis illuſum, ad redeundum ad ſemetipſos, & quod à ſe peccatum fuerat, proprii ſanguinis effuſione corrigendum.

Aggredi

Aggredi non auſim immenſam propemodùm materiam de Epiſcopis, qui poſtmodùm aut ſuſtinuerunt, aut deſeruerunt partes veritatis, quippe neceſſe foret totam pervolvi Hiſtoriam Eccleſiaſticam: Verùm, ut aliqua ſaltem indicentur eâ de re exempla, occurrunt quidem ex unâ parte Athanaſii Hilariique, ex aliâ verò plurimi prorsùs ſine animo Epiſcopi qui prodiderunt veritatem, ut Imperatoribus obſecundarent, quales inter alios fuêre Euſebius Nicomedienſis, Epiſcopi Conciliorum Riminenſis atque Seleucienſis, & alii ejusdem farinæ plurimi, à quibus nequidem volo, ſummum Pontificem Liberium eximium haberi, qui quidem primùm cùm ſeſe exhibuiſſet veritatis aſſertorem, tædio poſteà captus exilii, quo efficiebatur, eandem ignavè deſeruit, ac promeruit, quamobrem à S. Hilario repetitis anathematibus proſcinderetur: *Anathema tibi à me dictum Liberi & Sociis tuis; Iterùm tibi anathema & tertiò prævaricator Liberi.* S. Hilar. in fragm.

Neque verò temporibus, quæ ſucceſſerunt, minus viſum eſt & conſtantis animi in plurimis Epiſcopis qui veritatem vindicaverunt etiam adversùs multitudinem Epiſcoporum qui eandem abjiciebant & abjecti animi in iis qui vel ex adulatoris obſequio, vel ex metu ſententias approbabant, quas nullatenùs putabant omninò con-

conſentire veritati. Quod ulteriùs urgere non juvat: Verùm ſi contingeret, in ejuſmodi caſibus Papam velle aut à ſuâ, aut etiàm à Communione totius Eccleſiæ eos alienos facere qui partes ſuſcipiunt veritatis atque Juſtitiæ, abſque dubio eſt, futuram prorsùs nullam ejuſmodi excommunicationem, nihil ex eâ ſecuturum effectûs, neque ad veritatem detrimenti quidquam indè fore acceſſurum, quippe veritatem iſtam nullâ ratione poſſit vincere nec etiam lædere multitudo Epiſcoporum aut quarumlibet aliarum perſonarum in gratiam erroris conſpirantium, quemadmodùm ab ipſo Tractatûs hujus limine monuimus.

Ut ab Eccleſiaſticâ ad prophanam Hiſtoriam faciamus tranſitum, diverſa leguntur exempla Philoſophorum, atque generoſorum Ducum tùm inter Græcos, tùm inter Romanos, ut nihil dicam de aliis Nationibus, quibus præſtitit tormentis morteque affici, ſeſe in pericula inferre, vitamque exponere certiſſimæ morti, quàm vel proprio deeſſe officio, vel quidquam facere contrà veritatem, cùm ex aliâ parte reperiantur omninò plurimi, qui aut honorum & gloriæ cupidine, aut proprii commodi cauſâ, aut metu abrepti ab eâdem turpiter defecerunt: Quos numero ſuperiores fuiſſe certiſſimum eſt; (Pauciora namque inter Paga-

Paganos quàm inter Chriſtianos, ſeſe offerunt exempla conſtantis firmique animi pro veritate defendendâ.)

CAPUT X.

De cauſis inanibus ac futilibus, quæ prætenduntur, ut onus excutiatur Veritatis *forti cum animo ſuſtinendæ, ejusdemque palàm annuntiandæ.*

TOtam conſuevit homo ingenii ſui dexteritatem in eo impendere, ut cauſas & prætextus undequaque ſibi conquirat, quibus à ſeſe depellat defendendæ veritatis officium. Neque verò id mirum videbitur, ſi quâ potiſſimùm ratione ſit affectus parùmper attendatur. Sic namque animo diſpoſitus eſt, ut propriâ naturâ totus feratur ad otium, nec ab eodem ſe ſinat avelli niſi vel propriæ utilitatis gratiâ, vel ut ſuis cupiditatibus obſequatur. Vividiſſimus quidam naturæ ſenſus eum impellit, ad removendum quidquid ſibi poteſt vel etiam tantillùm obeſſe, totamque & voluptatem & utilitatem ſuam reponit in aliorum exiſtimatione benevolentiâque ſibi colligendis. Quomodò qui ſic affectus eſt, ſeſe libenter ferret ad ſuſcipiendas partes veritatis, quâ ut plurimùm exponitur periculo id amittendi quod plus diligit, quæque ſæpiùs

piùs ei non adducit, niſi quod habet ut ſummum malum?

Illud ſanè magis inſeruit commodis hominum, quòd ſeſe ſervent ab omni parte integros & indifferentes, quidquid indè detrimenti redundet in veritates, quæ ſunt ſanctiſſimæ ac ſine exceptione momenti graviſſimi. Eos ſenſus libentiſſimè juvat ipſos inducere, quos eleganter expreſſit quidam Poeta in reddendâ alicujus Adoleſcentuli propriâ conſimilique perſonâ: En, inquit, qualem ſe exhibebat;

Terent. And. Act. 1. Sc. 1.

...... Facilè omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cumque unà, iis ſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, adverſus nemini.
.... Ita facillimè
Sine invidiâ invenias laudem, & amicos pares.
Sapienter vitam inſtituit. Namque hoc tempore
Obſequium amicos, veritas odium parit.

Verùm enimverò nedùm conſcientiæ probentur inſtituta ejusmodi, quæ ab officiis noſtris adeò diſcrepant, quin immò ipſa eadem penitùs explodit: Ipſe etiam proprius honor noſtram arguit indifferentiam in defendendâ veritate; Sed ſic novit privatus amor amabili inſaniâ ludere

Cap. 1.

ludere animum, ut eò uſque perveniat, quòd & conſcientiam eâ de re in tranquillo ſiſtat, & comprimat quotquot honor aptus eſt indere ſenſus. Objicit mille validiorum cauſarum probabilitates, ut ſuadeat, nos eſſe immunes ejus generis adimplendi officii, cujus quidem tota nobis innoteſcit neceſſitas, ſed quod obſervare nimis arduum eſt ac periculoſum.

Sed referunt Hiſtoriæ tùm Veteris, tùm Novi Teſtamenti, nec viros etiam Sanctiſſimos ab ejus generis erroribus ſeſe ſemper præſtitiſſe incolumes. Cùm Deus dixit Moyſi: *Veni & mittam te ad Pharaonem*; Moyſes ſtatim uſus eſt excuſatione propriæ ſuæ vel indignitatis, vel infirmitatis. *Quis ſum ego*, ait, *ut vadam ad Pharaonem & educam Filios Iſrael de Ægipto:* Cui Deus reſpondit, *Ego ero tecum*. Sed nec ipſum dominici adjutorii promiſſum Moyſis animum confirmavit: Allegat ille & rei ſuſcipiendæ inutilitatem, & vel parvum, vel nullum qui ſit expectandus è ſuâ miſſione exitum; *Non credent mihi*, inquit, *neque audient vocem meam*, *ſed dicent* : *Non apparuit tibi Dominus*. Paulò poſt cauſatur, quam experiebatur, fandi difficultatem: *Obſecro Domine*, ait, *non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius*, *& ex quo locutus es ad ſervum tuum*, *impeditioris & tardioris linguæ ego ſum*. Novas addit excuſationum cauſas,

Exod. 3.

Ibid. 4.

ſas, & repræſentat, futurum, ut ab aliis, quàm à ſe ipſo, munus ejusmodi meliùs executioni demandetur: *Obſecro, Domine*, repoſuit ille, *mitte quem miſſurus es. Iratus Dominus in Moyſen.*

Lib. 35. Mor. 10. in Iſay. cap. 6. Poſſet equidem in eo Moyſes excuſari, quin etiam laudibus ipſius humilitas atque modeſtia extolli, exemplo ſanctorum Gregorii & Baſilii: At quod legitur, *Deum iratum eſſe in Moyſen*, arguit, eum culpâ non vocaſſe in reſiſtendo.

Jerem. 1. Quandò Deus Jeremiam conſtituit Prophetam ſuper Gentes atque Regna ille remanſit perterritus tanti muneris difficultate ac eminentiâ, neque enim exceſſerat annum nativitatis ſuæ quintum decimum, ut obſervat S. Hieronymus, ſtatimque cauſam affert nimiæ ſuæ adoleſcentiæ: *A, a, a, Domine Deus*, ait, *ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.*

Jonas 1. Nemo non novit, quid egerit Jonas antiquiſſimus Prophetarum, ut excuteret munus prædicandi Ninivitis, quidquid

Act. 9. ℣. 13. Sacerdos Ananias Deo reſponderit jubenti ſibi, ut accederet ad Saulum: Diſcipulus ille, quem perſecutionis terror totum protinùs invaſit, ſic dixit; *Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Jeruſalem, & hic habet poteſtatem à Principibus ſacerdotum, alligandi omnes qui invocant nomen tuum.*

Ex prædictis omnibus exemplis habetur,

tur, quàm ſit res ipſi naturæ difficilis & ardua in ſeipſum ſuſcipere manus Hominibus, ac Principibus præſertim annunciandi veritates ingratas ac diſplicentes, quàmque ferax ingenium ſit excuſationum de induſtriâ excogitatarum, quibus à ſeſe procul amoveat defendendæ veritatis officium. Quoniam tamen & ipſum Religionis ſtudium & ipſius veritatis honor pluribus in occaſionibus nobis imponunt ejusmodi officii neceſſitatem, operæ pretium eſt omnes & ſingulos ſigillatim expendere inanes prætextus, propter quos ab eodem adimplendo ut plurimùm abſtinetur, quò iidem poſſint impugnari.

Inter alios prætextus qui afferuntur, ſolet ille frequentiùs opponi, qui deducitur ex amore pacis: Qui quidem eò magis videtur plauſibilis, quòd & ratio & ipſa Religio ſimùl conſpirent, ut ejuſdem paucis conſervandæ ſtudium nobis ſuadeant. Ratio quidem, quæ dictat, ut beata vita ducatur & ab omnibus moleſtiis vacua, ſciendum maximè quomodò ſibi ab omnibus amor ac benevolentia concilietur, aliis potiſſimùm obſecundando, iisque in omnibus, quantùm poteſt, ſuffragando; Ex prurigine procaciter aliis adverſandi animos ut plurimùm commoveri, ſibique ipſi quàm plurimas parari moleſtias atque acerbitates; I. Prætextus

Cùm nihil affulgeat ſpei, futurum ut omnia vitia corrigantur, reformentur quæcumque pravæ conſuetudines, & omnes errores reſcindantur, expedire ſæpiùs, ut cum ſapientiâ atque charitate diſſimulatio adhibeatur, quàm ut apertè ac ſine ullo fructu malo obſiſtatur.

Religio ſuis præceptis in illum amorem paucis cum omnibus habendæ nos etiam inducit multò vehementiùs, quàm Philoſophicæ conſiderationes J. C. in fundamento pacis ac manſuetudinis collocat duas ex octo Beatitudinibus, quas nobis in Evangelio proponit: S. Paulus verbis expreſſis jubendo, cum omnibus pacem haberi, quantùm fieri poteſt, apertè innuit non conſilium eſſe, ſed legem, quæ ſit omninò obſervanda. Omnem interdicit contendendi atque vitiligandi animum, manſuetudinem in omnes ac patientiam commendat: *Servum Dei*, inquit, *non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes*; Tandem declarat, ejusmodi litigandi animum totum prorsùs ab Eccleſiæ ſpiritu diſcrepare: *Si quis*, ait, *videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.*

Ex quibus excellentioribus principiis conſueverunt plerique Hominum tùm ſuæ timiditati ac ignaviæ, tùm ſuo pro veritate defendendâ animo indifferenti velamenta quærere. Equidem hæc principia,

cipia, ſi in ſeſe ſpectentur, veriſſima ſunt: Sed ex iis eruuntur falſiſſimæ conſecutiones, quandò, ſuſcipiuntur partes ipſius pacis, quidquid indè damni derivetur in veritates etiam magis neceſſarias. Pax quidem debet nobis eſſe pretioſiſſima, ipſaque, quantùm poteſt, & quærenda eſt & ſummâ cum attentione ſervanda: Et illud tantummodò prædicta principia demonſtrant. At, quòd etiam ipſa veritas ſit paci poſthabenda, error eſt manifeſtiſſimus.

Ut autem funditùs evertatur, ſufficit, utriusque præcepti, de quo agitur, naturam propiùs conſiderari. Prius, ex quo nobis neceſſitas adducitur defendendæ atque conſervandæ veritatis, præceptum abſolutum eſt, ab altero præcepto nullatenùs pendens, & à quo præceptum illud alterum totum dependens eſt: Præceptum eſt, quod Dei gloriam proximè reſpicit. Poſterius, quod pacem ſervandam jubet, conditionale præceptum eſt, ita priori ſubjectum, ut ſine iſtius obſervatione, poſſit nequaquàm adimpleri; Uno verbo præceptum eſt, quod ordinem tantummodò dicit ad homines, quibuscum habemus conſuetudinem.

Indè ſequitur, cùm concurrunt ſimul duo iſtæc officia, ſi nequeant ambo ſimul adimpleri, (ut optandum ſemper eſſet,) tunc Divinæ veritati priores par-

tes eſſe neceſſariò deferendas, debereque ipſam ſtudio ſervandæ pacis abſque ullâ hæſitatione prævalere.

Quæcumque Pax non habens veritatis fundamentum, Pax falſa eſt, quæ Deo nullâ ratione poteſt comprobari, quæ diuturni temporis eſſe nequit, quæque non poteſt niſi iis eſſe damnoſa, qui eidem ſtudent paci quærendæ, partes deſerendo veritatis, & iis qui decepti ſpecioſâ falsâque pacis iniquioris ſpecie, verſantur in errore.

Atpue indè eſt, quòd ſcriptura præcipiendo, ſervari pacem, non aliam pacem intelligat, quàm eam, quæ ſolidior eſt & fundamento veritatis innititur: Quod ut innuat, ſolet ſæpè ſæpiùs utrumque pacis ac veritatis præceptum ſimùl con-
Zach. 81. 19. jungere; *Veritatem tantùm & pacem diligite*, inquit Dominus per Zachariam Prophetam. Sanctiſſimus Rex Ezechias neutrum vult ſeparari à votis, quibus
4. Reg. 20. 19. vitam proſperam ſibi adprecatur: *Sit*, inquit, *pax & veritas in diebus meis.*
Rom. 12. 18. Cùm S. Paulus nos admonet, pacem cum omnibus habendam eſſe, conditionem apponit, *ſi fieri poteſt, quod ex vobis eſt*: Hoc eſt, ſecundùm Interpretes, modò jura veritatis integra præſtentur, nihilque peragatur, quod pietati atque juſtitiæ adverſetur.

Permultùm intereſt, vocabulum illud *Pax*

Pax in verum ſuum ſenſum accipi. *Eſt tamen pax*, inquit Petrus Bleſenſis, *quæ nec eſt præmium, nec meritum: Pax, quam Dominus odit, de quâ Dominus dicit; Non veni pacem mittere, ſed gladium. Pax enim quæ in deliciis carnis exercetur, peſſima eſt, teſte Prophetâ, qui dicit : Zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns : Pax, pax, & non eſt pax; Hanc enim pacem momentaneam ſequitur amaritudo æterna. .... De quâ falsâ pace loquitur ad Theſſalonicenſes Apoſtolus. Nam, cùm dixerint Pax & ſecuritas, repentinus ſuperveniet interitus & dolor ſicut in utero habens, & non effugiet.* Petr. Bleſens. Sermone 48.

Ad quæ optima inſtituta Viri juſti & ſancti ab omnibus retrò temporibus ſuam finxerunt atque accommodaverunt agendi rationem. S. Paulus qui pacem tantoperè commendavit ac præcepit, & adeò vituperavit diſſenſiones, ipſe multis in caſibus oſtendit, amorem veritatis debere ſtudio pacis cum hominibus ſervandæ ſemper eſſe potiorem: Ipſe non dubitavit etiam S. Petro in faciem reſiſtere, quoniam, cùm Antiochiæ degeret, aliter agebat, quàm fuerat conſtitutum autoritate Jeroſolimitani Concilii, quo declaratum erat, Gentiles à jugo Legis eſſe penitùs exemtos; *Cùm autem*, ait Apoſtolus Gentium, *veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia repre-* Galat. 2. 17.12.14.

 henſibilis

tes eſſe neceſſariò deferendas, debereque ipſam ſtudio ſervandæ pacis abſque ullâ hæſitatione prævalere.

Quæcumque Pax non habens veritatis fundamentum, Pax falſa eſt, quæ Deo nullâ ratione poteſt comprobari, quæ diuturni temporis eſſe nequit, quæque non poteſt niſi iis eſſe damnoſa, qui eidem ſtudent paci quærendæ, partes deſerendo veritatis, & iis qui decepti ſpecioſâ falsâque pacis iniquioris ſpecie, verſantur in errore.

Atpue indè eſt, quòd ſcriptura præcipiendo, ſervari pacem, non aliam pacem intelligat, quàm eam, quæ ſolidior eſt & fundamento veritatis innititur: Quod ut innuat, ſolet ſæpè ſæpiùs utrumque pacis ac veritatis præceptum ſimùl conjungere; *Veritatem tantùm & pacem diligite*, inquit Dominus per Zachariam Prophetam. Sanctiſſimus Rex Ezechias neutrum vult ſeparari à votis, quibus vitam proſperam ſibi adprecatur: *Sit*, inquit, *pax & veritas in diebus meis.*

Zach. 81. 19.

4. Reg. 20. 19.

Cùm S. Paulus nos admonet, pacem cum omnibus habendam eſſe, conditionem apponit, *ſi fieri poteſt, quod ex vobis eſt*: Hoc eſt, ſecundùm Interpretes, modò jura veritatis integra præſtentur, nihilque peragatur, quod pietati atque juſtitiæ adverſetur.

Rom. 12. 18.

Permultùm intereſt, vocabulum illud *Pax*

Pax in verum ſuum ſenſum accipi. *Eſt tamen pax*, inquit Petrus Bleſenſis, *quæ nec eſt præmium, nec meritum: Pax, quam Dominus odit, de quâ Dominus dicit; Non veni pacem mittere, ſed gladium. Pax enim quæ in deliciis carnis exercetur, peſſima eſt, teſte Prophetâ, qui dicit: Zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns: Pax, pax, & non eſt pax; Hanc enim pacem momentaneam ſequitur amaritudo æterna. .... De quâ falsâ pace loquitur ad Theſſalonicenſes Apoſtolus. Nam, cùm dixerint Pax & ſecuritas, repentinus ſuperveniet interitus & dolor ſicut in utero habens, & non effugiet.* Petr. Bleſens. Sermone 48.

Ad quæ optima inſtituta Viri juſti & ſancti ab omnibus retrò temporibus ſuam finxerunt atque accommodaverunt agendi rationem. S. Paulus qui pacem tantoperè commendavit ac præcepit, & adeò vituperavit diſſenſiones, ipſe multis in caſibus oſtendit, amorem veritatis debere ſtudio pacis cum hominibus ſervandæ ſemper eſſe potiorem: Ipſe non dubitavit etiam S. Petro in faciem reſiſtere, quoniam, cùm Antiochiæ degeret, aliter agebat, quàm fuerat conſtitutum autoritate Jeroſolimitani Concilii, quo declaratum erat, Gentiles à jugo Legis eſſe penitùs exemtos; *Cùm autem*, ait Apoſtolus Gentium, *veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis* Galat. 2. 17.12.14.

henſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: Cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex Circumciſione erant: Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi; Ità ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus, &c

S. Gregorius Nazianzenus in ſermone quodam, quem ad ejusdem Civitatis ſolitarios habuit, principia, quæ modò poſuimus, luculentioribus verbis ſtatuit: Poſtquàm enim præfatos ſolitarios plurimùm hortatus eſt, ad conſervandam pacem, ſic proſequitur: *Ubi apertè ſe prodit impietas, tùm verò nobis faciendum eſſe ſtatuo, ut adversùs ignem & ferrum, & tempora & Principes, ac denique adversùs omnia cominùs feramur, quàm ut mali fermenti participes efficiamur & malè affectis aſſentiamur. Necquicquam perindè metuendum eſt, quàm ne quid magis, quàm Deum, timeamus, ac propterea Fidei & Veritatis, cùm Veritati ſerviamus, doctrinam perfidè deſeramus.*

S. Greg. Nazianz. Orat. 12.

Addit deindè S. Doctor, *Neque verò quiſpiam ſuſpicetur, quòd pacem omnem amandam eſſe & tamplectendam exiſtimem: Nam ut optimam quandam diſſentionem, ita perniciosiſſimam quandam concordiam eſſe perſpectum*

perſpectum habeo; Melior eſt enim contentio pietatis causâ ſuſcepta, quàm vitioſa concordia.

Idem Sanctus omnem quamcumque culpæ rationem longè repellit à Solitariis, qui ſeſe vividiores exhibuerant in veritate poſt habitum Concilium Riminenſe vindicandâ: „ Quanquàm, inquit, „ ſint aliundè & modeſti & amantes pa- „ cis, ſed nequeunt in præſenti circum- „ ſtantiâ nec animum ſuum in tranquillo „ ſiſtere, nec ſe ſinere ullâ ratione flecti; „ Sibi namque ipſi viderentur cauſam de- „ ſerere Divinam, ſi animo tranquillo „ conſiſterent.

Quæ eadem Inſtituta ſub oculis Solitariorum Monaſterii Saccudionis Sanctus Abbas Theodorus Studita ponebat: *Quandiù tempus fuit diſſimulandi, fecimus id, Filii ac Fratres*: Nos retinuit non ignava timiditas, ſed obſequii cujuſdam ſapientiſſima Lex; At, quoniam, Deo ſic permittente, res iſta (hoc eſt error Iconoclaſtarum) exteriùs erupit, *Nunc verò tempus confeſſionis, tempus reſiſtentiæ, tempus certaminum*, &c. In aliâ verò occaſione ait, „ Uſque modò dubium ali- „ quatenùs extitit, an cum Prævarica- „ toribus omne Communionis vinculum „ omninò diſſolvendum eſſet: *At poſtquàm impietas hæretica per Synodum in apertum prorupit, Religionem tuam unà*

Apud Sirmundum tom. 5. lib. 1. Ep. 31.

Id. ibid. 1. Ep. 39.

cum cæteris Orthodoxis oportet liberè agere.

Supervacaneum eſt, plura eâ de re accumulari exempla atque autoritatum teſtimonia: Satis erit obſervaviſſe, quidquid Martyres atque Confeſſores Chriſti Tyrannorum immanitate unquàm pertulerunt; Quidquid ſancti Doctores & fecerunt & aggreſſi ſunt adversùs Hæreticos, indè potiſſimùm ortum habuiſſe, quòd iis eſſet perſuaſiſſimum, propter pacis cupidinem defenſionem veritatum Religionis numquàm deſerendam eſſe. Si in id tantummodò voluiſſent deſcendere, ut eaſdem vel abjeciſſent vel aliquatenùs immutaviſſent, vel ad minimum tacuiſſent, profectò pacem habuiſſent cum hominibus; At pax emta pretio veritatis, iis videbatur ipsâ vel etiam morte magis timenda.

II.ᵉ Prætextus. Secundus prætextus qui nec minùs frequenter affertur, nec eſt minùs ſpecioſus, deducitur à metu ſcandali. Habet equidem ejuſmodi metus æquitatis plurimùm, nec eſt ab omni fundamento vacuus. „ J. C. in Evangelio anathema in„ dicit ei, per quem ſcandalum venit: „ Expediret ei, ut ipſius collo ſuſpende„ retur mola aſinaria & in profundum Ma„ ris demergeretur. At ex aliâ parte nos „ docuit ipſe J. C. Phariſaïcum ſcandalum „ quoddam diſtingui, quod omninò con- Matth. 18. 6. 7.

temnendum

„ temnendum eſt. Cùm Judæis veritates „ ſalutis annnnciabat, indè Phariſæi ſu- „ mebant ſcandalum : Sinite illos, inquit „ ſalvator, cæci ſunt & duces cœcorum. Ex quibus patet, vitandum aliquandò ſcandalum, & aliquandò non eſſe, cur propter metum ſcandali ab agendo abſtineatur; Quod jam fuſiùs exponendum eſt. Ibid. 15. 12.

Eſt igitur obſervandum cum S. Thomâ, 1. Eſſe ſcandalum activum, & illud eſt, quod datur vel verbo, vel aliquo actu minùs recto; Adeòque ejus generis ſcandalum culpâ nunquàm omninò vacat. *Cùm ſcandalum activum ſit dictum, vel factum minùs rectum, nihil eſt cum ſcandalo activo faciendum.* De ejusmodi ſcandalo potiſſimùm intelligendi veniunt textus Evangelii qui modò adducti ſunt. 2. Eſſe ſcandalum paſſivum ac Phariſaïcum, & illud eſt, quod accipitur occaſione veritatis alicujus, quæ annunciatur, vel boni cujusdam operis, quod peragitur, adeò quo ſcandalum ejusmodi prorsùs iniquum eſt, nulloque legitimo fundamento innixum; vitium in eo arguens à quo ſumitur, & ut plurimùm culpâ carens in eo à quo ejusdem occaſiò præbetur: Dico, *ut plurimùm culpâ carens;* Ut autem cognoſcatur quibus potiſſimùm in caſibus omni prorsùs careat culpâ, iterùm cùm S. Thomâ diſtinguendum eſt. „ Aut bo-

S. Thom. 2. 2. quæſt. 43. art. 7. & in 4. diſt. 38. art. 4. quæſtiunc. 1. & 2.

„ num opus, ex quo accipitur occaſio „ ſcandali, neceſſarium eſt de neceſſitate „ ſalutis, aut non neceſſarium. Si neceſ- „ ſarium fuerit, nec poteſt, nec debet „ prætermitti ſub prætextu, quòd ſcan- „ dalum impediatur, aut ſi fuerit jam ſu- „ bortum, conquieſcat, quoniam in ejus- „ modi omiſſione occurreret lethale pec- „ catum, quod nuſquàm licitum eſt quic- „ quid cauſæ ſubeſſe poſſit, quippè uni- „ cuique magis incumbat propriæ ſuæ „ ſaluti conſulere, quàm alienæ.

Si verò bonum opus, de quo quæſtio eſt, neceſſarium non ſit de neceſſitate ſalutis, adhùc ſubdiſtinguendum eſt cum eodem S. Thomâ, ut certa atque definita maneat officiorum noſtrorum ratio. „ Scandalum, cui bonum poſterioris ge- „ neris opus anſam præbet, aut ex eo- „ rum malitiâ ſuboritur, qui illud idem „ de induſtriâ ſumunt atque eo animo, „ ut bonum impediant, quod poteſt ex „ illo bono opere ſequi, in eoque caſu „ nequaquàm ad ejusmodi ſcandalum at- „ tendendum eſt; Sed parvi pendendum „ eſt, nec ab incæpto bono opere deſiſ- „ tendum. Et in iſtis ne lato quidem ungue ab ipſiſſimâ laudati S. Doctoris Doctrinâ diſcedimus.

„ Poteſt etiam ſcandalum iſtud proce- „ dere vel ex ignorantiâ vel ex infirmi- „ mitate animi eorum, qui illud perpe-
ràm

„ ràm accipiunt; In eo autem caſu, quandòque expedit, ut bonum opus vel abſcondatur, vel etiam differatur, cùm ità fieri poteſt abſque periculo, donec infirmis ſubjectæ fuerint æquitatis rationes, ob quas tale opus bonum peragitur. *Si autem*, ait S. Doctor, *poſt redditam rationem ſcandalum duret, jam videtur ex malitiâ eſſe; & ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia bona dimittenda.*

Quæ Doctrina S. Thomæ tota innititur autoritate ſacrarum ſcripturarum, & teſtimoniis ſanctorum Patrum, qui eidem tempore præceſſerunt.

S. Auguſtinus confitetur, ex metu ſcandali aliqua bona opera eſſe quidem quandòque dimittenda, ſed non ſemper: Debet metus ille retinere uxorem, ne abundantiores eroget eleemoſynas, quæ ei ipſius virum inconciliant; Quo quidem in caſu temporalem anguſtiam pauperis, cui poteſt aliundè ſubveniri, debet ipſa ſaluti æternæ ſui mariti poſthabere. *An cujuſquam tibi temporalis ſalus carior eſſe debuerat, quàm hujus æterna.*

S. Aug. Epiſt. ad Ecdiciam 262. Edit.

Quod non dico, addit S. Auguſtinus, ut innuere velim, praxim bonorum operum eſſe objiciendam, quandò indè alii offenduntur; Sed ad eam, in quâ reperitur unusquique, præſentis ſtatûs conditionem potiſſimùm attendendum eſt.

S. Gre-

S. Greg. Homil. 7. in Ezech.

S. Gregorius Magnus in eandem materiam ſic habet : *In quantùm ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus; Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utiliùs permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur.*

Epiſt. 34. ad Drogonem. Et Apolog. ad Guill. c. 7.

Quod idem verbis expreſſiſſimis tribusque in locis diverſis ſtatuit S. Bernardus: Addit in Epiſtolâ ad Drogonem; „ Memineris illius qui natus eſt in ruinam & „ in reſurrectionem multorum, nec mirum tibi videatur, ſi tu ipſe quandòque ſis in odorem vitæ quantùm ad aliquos & in odorem mortis quantùm „ ad alios.

Epiſt. 78.

„ Quandò vitia reprehenduntur, inquit „ idem S. Doctor in Epiſtolâ ad Abbatem Sugerum, & indè ſcandalum naſcitur, ille cenſendus cauſa ſcandali, „ non qui reprehendit, ſed qui quod reprehendum eſt, committit. Non memetipſum puto debere eſſe nec attentiorem in loquendo, nec conſideratiorem eo qui ſic dixit : Utiliùs permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas „ relinquatur.

Epiſt. 91. n. 4.

Idem Sanctus ſcribens ad quemdam Abbatum Cætum, qui Sueſſionum habebatur, ſic eos commonet : „ Reſpicite ad „ ſalutem parvulorum, non ad malignas „ malè-animatorum conqueſtiones. Non „ debetis multùm ſoliciti eſſe de eorum „ offen-

„ offenſione, qui non poſſunt niſi de veſtrâ imminutione gaudere : Nequaquàm „ ſperandum eſt, futurum, ut omnibus „ arrideatur; Alioquin aut numquàm, „ aut certè ferè nunquàm ullum bonum „ opus perageretur. *Satiùs verò ipſorum profectibus, quàm voluntatibus providetis, fideliùsque invitos trahitis ad Deum, quàm deſideriis cordis eorum relinquitis.*

Tandem S. Bernardus in excellentiori opere, quod ſcripſit de præcepto & diſpenſatione, his nos erudit monitis : *Sed non omnium ſcandala æquâ ſunt lance penſanda; Aliter namque accipienda ſunt ſcandala puſillorum, aliter Phariſæorum .... Illorum quippe ſcandalum venit de ignorantiâ, iſtorum de malitiâ : Illi ſcandalizantur, quia veritatem neſciunt; Iſti quia oderunt.* „ „ Scandalum priorum curam noſtram exigit; Scilicet docendi ſunt: Scandalum „ poſteriorum non niſi contemtum noſ- „ trum promeretur. Et hæc ſunt tutiſſima prorsùs Inſtituta, quibus ſapiens atque Chriſtiana vivendi ratio dirigenda eſt.

III. Prætextus. Obedientia Superioribus præſtanda.

Tertium eo loci paucis attingemus prætextum, quo non ita rarò juvat uti, ut officium defendendæ veritatis procùl repellatur; Et ille eſt qui ſumitur ex obedientiâ, quæ præſtanda eſt ſuperioribus. Quocumque in honore habenda ſint eorum imperia ac placita, nuſquàm licet cogni-

cognitam veritatem aut lædere, aut abjicere, cùm diſſentire Legi Divinæ manifeſtè reperiuntur: Oportet nos infallibili autoritate moveri in ejusmodi caſibus, ut partem poſſimus amplecti, cui toti renituntur naturales animi noſtri ſenſus; Quæ pertinent ad eam rem fuſioribus verbis jam tractata ſunt, conſulique ea poſſunt, quæ reperiuntur in 6. Capite.

IV. Prætextus. Quod contra iri non poſſit ſententiæ multitudinis.

Circumfertur alius etiam prætextus, ut defenſio veritatis declinetur, petiturque ex minimâ, quæ affulget, ſpe deducendi rem ad bonum exitum adverſante Multitudine. Cui bono, inquiet aliquis, memetipſum pro vindicandâ veritate juvat exponere, cùm non eſt, undè queat manifeſta fieri? Poteſtates, Qui animi firmitudinem ementiuntur, Plebs ipſa, omnes omnium ordinum atque conditionum Homines ſeſe in eandem veritatem intendunt adverſarios; Eſt moraliter impoſſibile, à me ſolo vinci autoritatem Multitudinis atque præjudicatas, quas altè imbibit, opiniones. Quaſi verò rationes iſtæ ejus momenti ſint, quæ memetipſum retinere poſſint, ne quidquid valeo, quantùm ad me ſpectat, totum pro virili parte ponam in defendendam veritatem? Forſitan veritatis ipſius lumen prælucebit animis hominum, eque cauſæ, erit cur de priſtinâ ſententiâ diſcedant; Forſitan exemplum meum multorum

rum animum relevabit qui rectè ſentientes, non audent animi ſenſus palàm efferre: Cæterùm, quidquid indè futurum ſit, & proprio meo officio fecero ſatis & conſcientiæ dictamini; Atque hoc ipſiſſimum eſt, quod quilibet religioſus vir ac ſanæ mentis ſibimetipſi dicere deberet. At plerique hominum aliter ſentiunt, aliterque ſunt prorsùs affecti.

Mirum eſt, quantùm in animos valeat opinio diſſentientis multitudinis, ut eos à defenſione veritatis deterreat: Neque verò ex ſolâ timoris atque cujuſdam imbecillitatis impreſſione comprimitur voluntas reſiſtendi multitudini; Quin etiam ſenſus interior diffidentiæ atque dubii quidquid vividiùs evidentiâ repræſentatur, obſcurat paulatim, atque animum tandem movet ad agendum etiam adversùs intimam ſuam perſuaſionem. Eorum multitudo qui favent errori, efficit pondus autoritatis, quod plurimis loco eſt, & demonſtrationis & evidentiæ: Primò quidem illud pavorem incutit, quòd aliquis ſeſe ſolum cernat, vel ſaltem cum pauciſſimis, tali ratione ſentire: Ex oculis aufugiunt principia, quæ perſuaſionem induerant animo, eique veritatem aliquam effecerant perpectiſſimam; Et nihil jàm attentè conſideratur, quàm multitudinis autoritas, cui tanquàm ſupremæ legi coeco quodam animo penitùs defertur.

Ad-

Adverſùs infeſtiſſimos ejusmodi pavores, quos infert multitudinis autoritas, animum poteſt omninò confirmare quod ait S. Theodorus ſtudita omnium, quos Eccleſia habuit 80. atque 90. Sæculis, vindex veritatis acerrimus. Quæ adverſùs argumentum deductum ex majori numero opponit, excerpuntur, ut cenſet ille, ex Operibus S. Baſilii Magni, à quibusdam verò tribuuntur Theodoreto, & ab aliis Eutherio Epiſcopo Thyanenſi. Ut ut ſit, in ipſiſſima verba relata à S. Theodoro, prout eadem reddit Pater Sirmondus, qui publici juris fecit & Editionem & verſionem latinam Operum laudati S. Abbatis. *Attende itaque, Frater, quid Divinus Baſilius dicat in eos, qui veritatem metiuntur ex multitudine. Qui de poſitâ quæſtione, ait, rationem reddere non audet, & cui non ſuppetit demonſtratio, ideòque perfugium habet in multitudine, is ſe victum fatetur, ut qui nullum habeat fiduciæ adjumentum.* „ Aliquis, etſi unicus „ ſit, oſtendat mihi decorem veritatis, in „ ipſo temporis articulo me perſuadet. *Multitudo autem ſine demonſtratione auctoritatem ſibi vindicans, terrere quidem poteſt, perſuadere non poteſt.* „ Numquid, ſi conſ„ piraverint Hominum millia, id efficient, „ ut perſuaſum mihi ſit, lucente ſole, te„ nebras eſſe? Ut pro aureo nummo „ ærarium accipiam? Ut ſumam poculum, „ quod

Pater Garnier è Societ. Jeſu, *Auctuarii Theodoreti pag. 690. B. S. Theodor. ſtudit. Ep. 48. ſup. fin.*

quod venenum eſſe certiſſimè novi? *Ergò terrenarum quidem rerum causâ, multitudinem nihil verebor, ſi mentiatur; In cœleſtibus autem Decretis ſimplicem abſque demonſtratione nutum ſequar, ab iis recedens, quæ jam olim magno conſenſu ex Divinorum ſcriptorum teſtimonio tradita fuerunt?* „ „ Quis ſanæ mentis eſt qui non malit iis „ paucioribus adjungi, qui per januam „ anguſtam tranſeuntes, ad vitam ingre- „ diuntur, quàm eorum ingenti numero „ qui per viam latam ambulantes, ad „ exitium videntur ſemetipſos miſerrimè „ præcipitare. *Pluris eſt unus Deo placens, quàm myriades ſeſe arroganter jactantium.*

„ Habemus ex Sacris Monumentis Ve- „ teris Teſtamenti, cum Divina Juſtitia „ plurima millia hominum de Populo pla- „ gâ percuſſiſſet, in impietatem ſolum „ Phinéen inſurrexiſſe, Divinam iracun- „ diam fuiſſe placatam: *Quòd ſi dixiſſet ille (Phinée), qui auſim Ego adversùs ea, quæ tam multi uno conſenſu faciunt? Quî refrager iis, qui ſic vivere decreverunt? Nec præclarum facinus edidiſſet,* „ quod immor- „ talibus laudibus dignum eſt, nec Deum „ Populo reconciliaviſſet. Expedit ergò, „ ita quidem expedit, hominibns quan- „ quàm ſolus ſit, ſtare ac ſemetipſum fir- „ mare contrà Torrentem; Et optimè fa- „ cit in eo, quòd obſiſtendo, iniquam „ confringat multitudinis unanimitatem:

Numer. 25. 7. Pſalm. 105. 30.

„ Tu, ſi ſic juvaverit, totam illam Hominum multitudinem aquis Diluvii ſubmerſam, potiorem habeas ipſo Noé qui ſalvatus eſt; At ſine, me eum pauciori numero ad illam Arcam recurrere, in quâ fuit ille conſecutus ſalutem. Aut, ſi ita volueris, per me licet, te eorum multitudinis adjungas, quæ Sodomæ flammis tota abſumpta eſt; Mihi verò propoſitum eſt, memetipſum fugienti Loth addere comitem, quanquàm ſit ille ſolus, qui ſeſe ex turbâ perditiſſimorum Hominum expediat. *Enimverò mihi etiam reverenda multitudo, non inquiſitionem fugiens, ſed demonſtrationem præbens; Non amarè ulciſcens, ſed paternè caſtigans; Non novitate gaudens, ſed paternam retinens hæreditatem. Quamnam verò multitudinem mihi prædicas? Blanditiis & muneribus conductam? Imperitiâ & ignorantiâ captam? Metu & terrore proſtratam? Quæ brevem peccati uſuram æternæ vitæ prætulit? Quod multi apertè confeſſi ſunt. Multitudine mendacium defendis? Hìc mali vim declaraſti: Quò enim ad plures malum pertingit, eò major eſt calamitas.*

V. Prætextus. Ex ipſis vitæ ſtatu ac conditione prætenta immunitas.

Adhùc ſupereſſent plurimi alii impugnandi prætextus; Proprium etenim ſolet unusquisque pro ſuâ cupiditate, aut præjudicatis, quibus tenetur, opinionibus, prætextum ſibi fingere. Unicum abſolvemus, quem plurimi deſumere vellent ex

ex ipſo fonte naturâque ſuæ conditionis. Laïci, quos nullum movet ſtudium Religionis, contendunt ex ſuâ conditione ſibi nullo modo incumbere defenſionem veritatum Fidei, etiam cùm easdem impeti manifeſtum eſt, totumque ejusmodi negotium iis permittunt, qui ſeſe Miniſteriis Eccleſiaſticis devovêre. Quâ de re conſulantur ea, quæ de Fidelium Laïcorum Officiis diximus Capite 8.

Quin etiam occurrunt Paſtores atque Miniſtri ſecundi Ordinis qui vellent negotium, de quo quæſtio eſt, committere curæ Epiſcoporum: Ii abundè habent, undè officia ſua addiſcant nimirùm ex plurimis Operibus, quæ nequeunt eoſdem prorsùs latere.

Tandem plurimi Religioſi atque Monachi ſibi licere arbitrantur, ut planè derelinquant veritatum Religionis defenſionem, ſub eo nimirùm prætextu, quòd ex vitæ genere, quod profitentur, nihil ad aliud, quàm ad ſolitudinem atque ſilentium adſtringantur; Et hoc eſt eò loci, quantùm fieri poterit, breviter diſcutiendum.

Neque verò ab hodiernis noſtris temporibus inventus eſt à multis Solitariis ejusmodi prætextus, quò legitimam aſſererent ſuam deſidiam in iis caſibus, in quibus eorumdem Miniſterii opus Eccleſiæ fuit. Extiterunt, vivente etiam-

Epiſt. lib. 2. Epiſt. 2. tom. 5. Sirmondi.

nùm ſancto Abbate Theodoro, de quo fecimus jam ſermonem, quidam timidi Superiores, qui ſuis Religioſis ſuadebant, ne ſeſe rebus Relionis ullatenùs immiſcerent: *Et dicunt, ut fama eſt, Domini Præpoſiti, Quinam ſumus nos?* Quibus laudatus S. Abbas tres reſponſiones opponit, quæ totidem principia complectuntur attentione digniſſima: In iis autem circumſtantiis, quas ſubintelligit S. Theodorus, agebatur de Hæreſi Iconoclaſtarum; *Primùm*, inquit, *Chriſtiani* (eſtis) *qui nunc prorsùs loqui debeant: Deindè Monachi, quos re nullâ abripti par ſit, tanquàm Mundo minimè adſtrictos, minimèque obnoxios; Denique Præpoſiti, qui & aliorum ſcandala tollere, & in nullo dare offendiculum debent.*

Sanè non eſt undè Religioſi conqueri jure poſſint, quaſi nobis animo ſit eos premere oneribus ab eo, quod agunt, vitæ genere prorsùs alienis, cùm ipſi ſibi eadem videant imponi ex principiis, quæ adhibentur à Viro ſancto, qui obſtrictiorem, quam in Clauſtro habuit, Diſciplinæ Regularis obſervantiam, & ſummos quos Fidei cauſâ ſuſcepit, labores, meritus eſt, cur appellaretur ſimùl & *Monachorum Exemplar, & Orator Eccleſiæ, Columen Religionis, Lumen & Dux Fidei.* Quibus glorioſiſſimis atque honorandis titulis S. Theodorus inſignitur in vetuſtiori Manuſcripto

Cod. MSS. Colleg. Claromont. cui titulus,

nuſcripto Codice, qui ſervatur in Bibliothecâ Collegii Claromontani.

Breve Synaxarium totius anni 11. Novemb.

Occurrerent multa prorsùs de eâ, in quâ verſamur, materiâ dicenda: At forſitàn expediet, ſtare nos ſolummodò & autoritati & rationum momentis ſancti Abbatis, cujus jam-jam verba retulimus.

In Epiſtolâ, quam de ſuo carcere ſcribit ad Abbatem Theophilum, omnes exhortatur Monachos ad teſtimonium veritati perhibendum, his cauſis potiſſimùm impulſi, nempè ut aliis exemplo bono ſint, atque ne apud eoſdem eorum ſilentium habeat multam offenſionem. *Niſi Ordo Monaſticus,* ait, *omnia arbitretur ut ſtercora, Monaſteria dico & cuncta quæ in eis ſunt; Quomodò Laïcus* „ eò uſque per-
„ venire credetur, ut Religionis causâ
„ contemnat & uxorem & filios & quæ-
„ cumque cætera poſſidet? Omnes igi-
„ tur, quotquot eſtis, nequidem illo ex-
„ cepto, qui tenet inter Fratres locum
„ noviſſimum, commoneo, ne in præſen-
„ ti occaſione taceatis, ne ſilentium no-
„ ſtrum conſimile fiat ſodomitico clamo-
„ ri. Nihili temporalia bona faciamus,
„ ne amittamus æterna. Non ſimus Ec-
„ cleſiæ Dei malo exemplo. Deindè addit: *Monachi autem munus eſt, ut nec tantillùm in Evangelio innovari ſinat, ne exemplum Laïcis, hæreſeos atque hæreticæ communionis præbentes, rationem reddant de illorum perditione.*

lib. 1. Ep. 28. Eadem verba S. Theodorus habet in Epiſtolâ ad Monachum Baſilium: „ Ad „ nos ipſos redeamus, ait S. Abbas, at- „ que ex ipſo lumine veritatis ſacrorum „ Canonum judicemus, quâ ratione *incumbimus in eorumdem praxim ſuſtinendam nos potiſſimùm qui Monachi ſumus, & aliquid eſſe exiſtimamur:* „ Si namque ſal eva- „ nuerit, quod, quæſo, adhibebitur an- „ tidotum, quo Laïci à corruptione de- „ fendantur.

Hæc ratio boni exempli præbendi Populis debet apud Religioſos eſſe maximi momenti, quò ſeſe ferant ad loquendum manifeſtè, Ubi ſic exigit honor ipſius veritatis: Si tacerent ex animo tempori ſerviendi atque ob humanum aliquem reſpectum, veritati detraherent quidquid poſſet ipſi redire utilitatis ex ſanctitate ſuæ vitæ profeſſionis, eamque privarent fructibus bonæ famæ, quam ſibi regulari ſuâ obſervantiâ comparaverunt. Refert Sozomen. lib. 6. cap. 2. Sozomenus, Populum Alexandriæ penitùs inſcium diſputationum, quæ circà Fidem agebantur, libenti animo propendiſſe in ſententiam Religioſorum, proptereà quòd, ait laudatus Autor, *penès illos veritatem eſſe crederet, qui veritatem factis ipſis profitebantur.* Quantùm ei damni inferrent, ſi tacere animo obfirmarent ſub eo prætextu, quòd peculiaribus ſtatûs ſui conſtitutis ad ſolitudinem adſtringantur?

tur? Numquid ejusmodi Leges prævalere debent obligationibus, quibus ſeſe addixerunt ut Chriſtiani in Baptismo ac poſtmodùm in Sacramento Confirmationis, cujus hæc eſt gratia ſpecialis, ut nos efficiat firmos ac ſtabiles in Fide defendendâ? Nùm potiores eſſe debent ipſis commodis Eccleſiæ, cujus Membra ſunt? Aliundè verò Religioſorum plerique his hodiernis temporibus Sacerdotio inſigniuntur: Iis ergò animo præſens eſſe ſemper debet, quod illis, cæterisque Preſbyteris in ipsâ Ordinatione fuit dictum, nimirùm iis potiſſimùm incumbere, quod ſint *Epiſcoporum Cooperatores & Medici ſpirituales Populi Dei, & quod ad alendam ſuam fidem dedicerunt, totum convertant in fidem Fratrum ſuorum formandam atque ſuſtinendam.*

IX. Pontif. Rom. exhort. ad Ordinandos.

Denique, ut finis fiat penitùs evertendi inanem illum prætextum humilitatis ac vitæ abſconditæ, ex quo Solitarii quidam vellent deſidiæ ſuæ quærere velamentum, ad eam agendi rationem potiſſimùm attendatur, quam ab initio babuêre qui inter Monachos priores ac ſanctiores extiterunt. Sacro-ſanctum illud ſtudium, quo toti devovebantur Clauſtralibus officiis, nihil obſtaculo fuit, cur eorum fervor non eruperit exteriùs, ubi ſentiebant, periclitari veritatem. Quot & quanta non occurrerent vel etiam ex ipſis exemplis

 domeſ-

Lib. 2. Ep. 16. domeſticis iisdem proponenda? *O quot rerum præclarè geſtarum apud vos monumenta extant!* inquiebat S. Abbas Theodorus Monachis qui tunc temporis florebant.

Omnes Solitarii primævorum ſæculorum, qui celebrantur in Eccleſiaſticis Annalibus, ut pœnitentiâ ſuâ ac vitâ abſconditâ, quam duxerunt, ita & ſuo Religionis ſtudio & Martyrio, quod pro ejusdem amore perpeſſi ſunt nobis commendantur. Non commemorabo Sanctum Cyrum, neque S. Appollonium, neque Coprem Inferioris-Thebaïdis Eremitam. Quam S. Athanaſius conſcripſit, ſancti Antonii Hiſtoria, ut magis cognita, ſic etiam indubitatior eſt. „ Sæviente Imperatore

S. Athanas. Vit. S. Anton. cap. 15.

„ Maximiliano, ipſe S. Antonius atque „ ejus Fratres egreſſi Monaſterio, ſeſe „ tranſtulerunt Alexandriam, ad confir„ mandos Martyres, qui eò ex diverſis „ Imperiis partibus conducebantur: Eoſ„ dem apud Magiſtratum ſiſtentes horta„ turus proſiliebat ad Tribunalia; Iis „ ſeſe comitem addebat ad locum uſque „ ſupplicii. Cùm Magiſtratus indixiſſet, „ ne Monachorum ullus in Civitate re„ maneret, plurimi delituerunt: Anto„ nius veſtimentum ſuum ſupernum la„ vit, atque, ut ab omnibus conſpicere„ tur, locum aſcendit eminentiorem.

Ibid. Vit. S. Anton. pag. 491.

„ Paulò poſt, mentientibus Ariani An„ tonium de Divinitate Verbi ita, ut ſe,

credere,

„ credere, ipſe de eorum audaciâ totus „ ſtupens, rogantibus Epiſcopis atque omnibus ſuis Fratribus, rursùm Alexandriam deſcendit, ibique Ariomanitas „ publico ſermone condemnavit.

Legantur ea, quæ refert Theodoretus de Sanctis Monachis Flaviano & Diodoro, de Aphraate atque de aliis plurimis. *Ovium namque ſalutem quieti anteponens* (Poſtremus iſte,) *Monaſtico tugurio relicto, ſudores Paſtorales amplexus eſt.* Voluit Imperator Valens ipſius comprimere fervorem: Quid ei vir ſanctus reſponderit, norunt omnes. „ O Imperator, ſi Puella eſſem intrà limites paternæ domûs incluſa, ipſamque domum „ conſpicerem totam igneſcentem, quid „ facto opus eſſet? Nùm ſilentem remanere me interiùs oporteret? Nonnè „ potiùs incumberet ad aquam occurrere „ & ab omnibus quærere, undè poſſet „ reſtingui incendium? En, Imperator, „ quod in præſenti caſu facio. „ Omitto infinita propèmodùm alia exempla. Neque verò ejusmodi facta propria ſunt aliquorum privatorum hominum, quæ Eccleſia deindè reprehenderit: Iiſdem principiis integra Cænobia inſtiterunt, eorumque fervor atque ſtudium plurimis laudibus comprobata ſunt à Sacro-ſanctis Conciliis, à primis Eccleſiæ Patribus & ab ipſis ſummis Pontificibus. Quod ut

Tom. 3. Concil. c. 28. pag. 421. Joann. Garn. in Præfat. in 2. p. Mercator. p. 39. S. Leon. Ep. 47. Edit. Paſchal. Queſnel. Ep Simpl. tom. 4. Concil. p. 1077. Tom. 4. Conc. p. 1086.

extrà omnem dubii aleam ponatur, ipſa conſulatur Epiſtola S. Cyrilli ad Monachos Alexandriæ; Ea legatur, quam ad Abbatem Sanctum Dalmacium Concilium Epheſinum ſcripſit, illa, quam S. Leo Papa miſit ad Conſtantinopolitanos Abbates, & quam Summus Pontifex Simplicius inſcripſit ad ejusdem Civitatis Archimandritas. Satis erit, finem iis imponendo, quæ eo de argumento diximus, illud referre, quod Papa Felix III. ſcribebat ad Monachos Conſtantinopolis ac Bithyniæ: Ad tempus devenimus, ait ille, in quo totam experimur fallaciarum ſatanæ nequitiam: Sed Dominus qui protegit nos, impedit, ne ſuccumbamus..... *Monentes dilectionem veſtram, ut ſicut ſemper feciſtis, pro cuſtodiâ veritatis jugi obſervatione vigiletis.*

CAPUT XI.

De Mendacio, & de iis quæ illud ſequuntur.

Definitio ac Diviſio Mendacii.

Veritas, ut obſervavimus, accipitur duobus modis, aut pro ipsâ rerum in ſe ipſis exiſtentiâ, ſeù realitate, vel pro certâ cognitione, quam de iſtis rebus habemus: In hoc utroque ſenſu Mendacium non adverſatur veritati; Quod enim

enim exteriùs profertur, nihil immutat nec quoad veritatem rerum, nec quantùm ad mentem illius qui loquitur. Immò verò mendacium in eo propriè conſiſtit, quod aliquid dicatur adversùs quod intùs cognoſcitur eſſe verum. Sed veracitati mendacium in eo adverſatur, quòd mendax aliter loquatur, quàm ſentit, atque eò potiſſimùm collimet, ut aliis illudat.

Eſt hæc vulgaris mendaciorum diviſio, ut tres eorumdem ſpecies communiter diſtinguantur, nempè *Mendacium pernicioſum*, quod proximo damni aliquid infert; *Mendacium officioſum*, quod è contrariò utilitati ullius inſervit; Et *Mendacium jocoſum*, quod eo animo profertur, ut iis, quibuscum conſeruntur colloquia, riſus moveatur.

S. Auguſtinus adeò accuratè ſubdiviſit tres iſtas Mendaciorum ſpecies, ut nihil addi poſſit iis, quæ eâ de re habet: Juxtà iteratam à S. Doctore diviſionem, ſpecies octo mendaciorum rursùm diſtinguuntur. S. Aug. de Mend.

Primum capitale, inquit, *quod ſit in doctrinâ Religionis; ad quod mendacium nullâ conditione quisquam debet adduci.*

Secundum, ut nulli proſit, & obſit alicui.

Tertium, quod ita prodeſt alteri, ut obſit alteri.

Quartum, quod fiat ſolâ mentiendi fallendique libidine, quod purum mendacium eſt.

Quintum,

Quintum, quod ſit placendi cupiditate de ſuaviloquio.

Sextum, quod nulli nocet, & prodeſt alicui.

Septimum, quod & nulli obeſt & prodeſt alicui, excepto ſi Judex interrogaret.

Octavum, quod & nullibi obeſt, & ad hoc prodeſt, ut ab immunditiâ corporali aliquem tueatur.

Aliam mendacii ſpeciem S. Auguſtinus adhuc obſervat, quæ non comprehenditur in prædictâ generali diviſione, & illud mendacium eſt, quod fit ex falsâ quâdam modeſtiâ, nempè ſeſe criminum inſimulando, à quibus omninò vacatur, ut de conceptâ boni nominis opinione ſibi detrahatur aliquid. „ Si eo animo „ mentiris, ut te ipſum deprimas, inquit, „ ex tuo mendacio te conſtituis peccato„ rem; *Nam quomodò eſt humilitas, ubi regnat falſitas?*

Serm. 182. in 1. Joan. ℣. 4. n. 5.

Non ſolùm poteſt mendacium fieri proferendo verba, ſed et ſignis quibusdam ad nutibus innuendo; Duobus namque modis iſtis homines conſueverunt ſuos interiores ſenſus manifeſtare.

En, quæ poſſunt de mendacio haberi, ideæ atque generales notiones. Indè verò fluunt, quæ ſequuntur, quæſtiones. 1. Utrùm mendacium in genere ſit licitum? 2. Utrùm mentiri liceat in aliquibus caſibus? Utrùm queat ſubeſſe men-

dacio

dacio locus excuſationis, & in quem peccati gradum poſſit ratione diverſarum circumſtantiarum reponi?

Prima Quæstio.

An mendacium poſſit eſſe licitum?

Extitêre priſtinis olim temporibus Hæretici atque inter alios Priſcillianiſtæ & Meſſalianitæ, quibus omnia omnium ſpecierum mendacia ipſumque etiam perjurium aut probabantur, aut videbantur legitimam ſuſcipere cauſam excuſationis. Hoc ipſis erat quaſi loco Dogmatis proprii ac ſacro-ſancti: ***Jura, perjura, ſecretum reddere noli.*** Cujus rei cauſam hanc afferebant, nimirùm in intimis pectoribus veritatem quaſi in ſanctuario quodam à ſeſe retineri, parvique intereſſe, eandem exteriùs proferri, aut abſcondi. Auguſt. lib. de mend. ad Conſ.

Ejusmodi ſententia, quam aſſerere nullus inter Philoſophos Paganos unquàm auſus eſt, ſic repugnat rationi, ſocietati Civili ac Religioni, ut nemo non poſſit ipſam deteſtari atque penitùs horreſcere.

A ratione quidem omninò aliena eſt in eo, quòd permittat, quod interiùs ſentitur atque habetur omninò exploratum, non ſolùm manifeſtari nunquàm, ſed & oppoſitum affirmari. Societatem verò civilem funditùs evertit, propterea quòd, ſi li-

Quintum, quod ſit placendi cupiditate de ſuaviloquio.

Sextum, quod nulli nocet, & prodeſt alicui.

Septimum, quod & nulli obeſt & prodeſt alicui, excepto ſi Judex interrogaret.

Octavum, quod & nullibi obeſt, & ad hoc prodeſt, ut ab immunditiâ corporali aliquem tueatur.

Aliam mendacii ſpeciem S. Auguſtinus adhuc obſervat, quæ non comprehenditur in prædictâ generali diviſione, & illud mendacium eſt, quod fit ex falsâ quâdam modeſtiâ, nempè ſeſe criminum inſimulando, à quibus omninò vacatur, ut de conceptâ boni nominis opinione ſibi detrahatur aliquid. „ Si eo animo „ mentiris, ut te ipſum deprimas, inquit, „ ex tuo mendacio te conſtituis peccato-„ rem; *Nam quomodò eſt humilitas, ubi regnat falſitas?*

Serm. 182. in 1. Joan. ℣. 4. n. 5.

Non ſolùm poteſt mendacium fieri proferendo verba, ſed et ſignis quibusdam ad nutibus innuendo; Duobus namque modis iſtis homines conſueverunt ſuos interiores ſenſus manifeſtare.

En, quæ poſſunt de mendacio haberi, ideæ atque generales notiones. Indè verò fluunt, quæ ſequuntur, quæſtiones. 1. Utrùm mendacium in genere ſit licitum? 2. Utrùm mentiri liceat in aliquibus caſibus? Utrùm queat ſubeſſe men-

dacio

dacio locus excuſationis, & in quem peccati gradum poſſit ratione diverſarum circumſtantiarum reponi?

Prima Quæstio.

An mendacium poſſit eſſe licitum?

Extitêre priſtinis olim temporibus Hæretici atque inter alios Priſcillianiſtæ & Meſſalianitæ, quibus omnia omnium ſpecierum mendacia ipſumque etiam perjurium aut probabantur, aut videbantur legitimam ſuſcipere cauſam excuſationis. Hoc ipſis erat quaſi loco Dogmatis proprii ac ſacro-ſancti: ***Jura, perjura, ſecretum reddere noli.*** Cujus rei cauſam hanc afferebant, nimirùm in intimis pectoribus veritatem quaſi in ſanctuario quodam à ſeſe retineri, parvique intereſſe, eandem exteriùs proferri, aut abſcondi.

August. lib. de mend. ad Conſ.

Ejuſmodi ſententia, quam aſſerere nullus inter Philoſophos Paganos unquàm auſus eſt, ſic repugnat rationi, ſocietati Civili ac Religioni, ut nemo non poſſit ipſam deteſtari atque penitùs horreſcere.

A ratione quidem omninò aliena eſt in eo, quòd permittat, quod interiùs ſentitur atque habetur omninò exploratum, non ſolùm manifeſtari nunquàm, ſed & oppoſitum affirmari. Societatem verò civilem funditùs evertit, propterea quòd, ſi li-

ſi liceat in quibusvis occaſionibus mentiri, jàm non eſt, undè cujusquam fidei confidi poſſit; Omnis ruit bonæ fidei ſpes; Omne commercium dilabitur, nihilque ſocietas civilis offeret, niſi chaos quoddam hominum, quibus & animus & libertas impunè relinquentur ſibi invicem imponendi. Religio verò, quâ nihil nobis potius ac neceſſarium eſt, penitùs tolletur atque redigetur ad nihilum: Ipſa etenim tota innititur hoc principio S. Pauli; *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* En veræ Religionis fundamentum: Si namque quod nullatenùs creditur, licitum fuerit confiteri, docere atque prædicare, jam Religio ſomnium eſt & inſania; Martyres qui veritatis causâ paſſi ſunt, haberi non poſſunt niſi ut inſani. *Hæc deteſtabilis Doctrina*, ut ait S. Auguſtinus, *omnes dedecorat ſanctos, Martyres, quin etiam omnibus Martyriis meritum aufert atque ſanctitatem.* „ Ipſi etenim, addit S. Doctor, multò conſultiùs & æquiùs egiſſent, ſi ſuis Perſecutoribus non fuiſſent confeſſi, ſe eſſe Chriſtianos, & ejusmodi confeſſione eos nos effeciſſent homicidas: Quin immò mentiendo ac pernegando ſe Chriſtianos eſſe, & ſuppliciis ſe ipſos ſubripuiſſent, vitæque propriæ peperciſſent, nihil indè intimis ſuis immutatis ſenſibus, & inimicos ſuos impe- „ diviſ-

Rom. 10. 10.

Aug. de mend. ad Conſ. ibid.

„ diviſſent, ne nefarium, quod propoſue-
„ rant, ſcelus conſummarent.

Stabit ſemper illud eâ de re J.C. præceptum: *Qui me negaverit coram Hominibus, negabo & Ego eum coram Patre meo.* Hujus Legis obſervatione fundata eſt ac invaluit Eccleſia. Si ſuam Apoſtoli primævique Chriſtiani negaviſſent Religionem, Chriſtoque quanquàm ore tenùs renunciaviſſent, ſuos in intimis pectoribus abſconditos ſenſus retinentes, profectò nedùm feciſſet progreſsûs aliquid Religio Chriſtiana, quin immò tota citò citiùs corruiſſet: Ex illâ conſtantia animi, quâcum diriora tormenta mortemque ipſam potiùs pertulerunt, quàm ut ſeſe Chriſtianos inficiarentur, Eccleſia potiſſimùm cepit initium, & Chriſtiana Religio ſtetit, crevit, atque terrarum ubique diſſeminata eſt, juxtà illud Tertulliani; *Sanguis Martyrum, ſemen Chriſtianorum.*

Matth. 10. 33.

Tertull. lib. ad Mart.

In illud autem conſpiravêre ſemper & perpetuum omnium omninò Chriſtianorum ſuffragium & unanimis Patrum conſenſus, idque conſtanter habitum eſt ut Dogma Traditionis, nimirùm nunquàm licitum eſſe mendacium in materiâ Religionis. Quod uſque adeò extrà omnem aleam dubii poſitum eſt, ut ipſi Autores, quibus mendacium aliquam excuſationem habere poſſe viſum fuit, illud verbis expreſſiſſimis excipi voluerint, quod ſit in

causâ

cauſâ Religionis. Atque idem dicendum de juramentis, in quibus Divinum nomen invocatur in teſtimonium veritatis, & de contumelioſis atque injurioſis verbis, quæ & in Deum & in Religionem poſſent, conſcientiâ necquicquam reluctante, profundi. „ Qui mendacium aſſerunt per-
„ mitti poſſe, inquit S. Auguſtinus, id
„ ſaltem excipiunt, quod refertur al cul-
„ tum Divinum, agnoſcuntque nefas pror-
„ sùs eſſe mentiri in ejusmodi causâ;
„ Quod idem dicunt de perjuriis & de
„ probroſis in Deum resque divinas ma-
„ ledictis. Quandò Divinum nomen im-
„ ploratur, quandò Deus appellatur teſtis,
„ quandò Sacramentum juratur, quandò
„ denique habetur de Religione ſermo,
„ certiſſimum eſt nefas eſſe mentiri: Nul-
„ lus quisquam auderet in ejusmodi caſi-
„ bus docere, præcipere aut comprobare
„ mendacium, neque illud juſtum aſſere-
„ re. Nusquàm licet Doctrinæ Chriſtia-
„ næ Doctori, ejusdem Præconi, ac Re-
„ ligionis Defenſori, nec mentiri, nec
„ ullis involucris cujuscumque mendacii
Aug. ibid. „ opprimere veritatem. Quod etiam idem S. Doctor, cujus ibi tota mens exprimitur, verbis luculentiſſimis aſſerit, cùm in alio loco dicit, „ veniam quidem de iis
„ fieri poſſe, quæ cum veritate non om-
„ ninò concordant, modò non toleren-
„ tur nec perjuria, nec contumelioſa in
„ Deum

„ Deum reſque Religionis maledicta. Ex „ quo principio reprobanda quoque veniunt quotquot mendacia, quæ alicui „ iniquè obſunt; Neque enim ulli injuria „ vel levior inferenda eſt, ut à graviore „ poſſit alter defendi. Sed nec etiam probari poſſunt mendacia, quæ licèt offendant nullum, nemini prodeſſe reperiuntur, & in ejus damnum vertunt, „ qui ſine ullâ causâ mentitur. Neque „ verò ejusmodi ſolummodò mendaces „ ſunt; Quippè mendacium aliquandò „ dicatur ex neceſſitate. Sed ii potiſſimùm appellantur mendaces, quos mentiri juvat, quique ex mentiendi libidine faciunt mendacium.

Mirari ſubit acris ingenii perſpicaciam, quâ S. Auguſtinus materiam adeò difficilem atque intricatam diſſolvit tantâ cum perſpicuitate, ut certa ſejunxerit ab incertis & poſuerit quæſtionem decidendam omni, quæ deſiderari poteſt, verborum præciſione. „ Cùm præcedentes errores, „ inquit, abſque difficultate reprobati fuerint, nunc quaſi per gradus aſcendendo „ ad veriſimiliora, quæſtio controvertitur de novo alio mendacii genere, quod „ tribuitur quibusdam benevolis ac benignis, nimirùm an mentiri liceat, quandò mendacium non ſolùm nulli obeſt, „ ſed & reperitur alicui prodeſſe?

M Se-

SECUNDA QUÆSTIO.

Utrùm quibuſdam in occaſionibus liceat mentiri?

Idem S. Auguſtinus apertè fatetur, magnam omninò eſſe iſtam quæſtionem, quæ nobis affert in plurimis vitæ occaſionibus multam perturbationem: Eandem agnoſcit difficillimam & prorsùs obſcuram, & hæc illa eſt, quæ nunc reſtat diſſolvenda. Ait, futurum, ut facilè ſolveretur, ſi conſiderarentur tantummodò præcepta & exēpla negligerentur. Non diffitetur, exempla occurrere, quæ ſententiæ adverſantur, quam tenet juxtà quod præcepta commendant, nec tamen condemnare videtur eos qui ſententiam amplectuntur oppoſitam. Fatetur, communiorem prorsùs prævalere opinionem, ſcilicet nullam peccati rationem ineſſe mendaciis, quæ vel in favorem & utilitatem alicujus adhibentur, vel eo animo fiunt, ut ab eo aliqua injuria avertatur, quam certiſſimè reciperet, niſi mendacia obſtarent; Quin etiam ejusmodi mendacia bonis operibus annumeranda prædictâ opinione affirmari. Eò uſque etiam deſcendit, ut duo mendaciorum genera eſſe concedat, in quibus non ita gravior occurrat culpæ ratio, quanquàm eadem contendat non

omni

omni omninò culpâ vacare, nimirùm, quandò oblectationis causâ aliquis mentitur, aut ut utilitati alienæ inſerviat. Nihil prius habet pernicioſi, quoniam eum non fallit, quoçum colloquium conſeritur, iſteque poteſt conjicere, illud quod dicitur, ridendi jocandique causâ potiſſimùm proferri. Poſterius autem magis videtur dignum excuſatione, quòd prætextum benevolentiæ ac benignitatis præ ſe ferat. Tandem S. Auguſtinus in tractandâ propoſitâ quæſtione moderatè ſe gerit, quantùm poteſt deſiderari. „ Proſequemur, inquit, quæſtionem iſtam, ita „ ut cum quærentibus nos ipſi quæramus, & ex Opere Lector dijudicabit, „ utrùm attigerimus veritatem, cùm id „ ſit nobis propoſitum nihil auſu temerario decidere.

Sententiæ plurimorum Patrum, quos adverſari S. Auguſtino contenditur.

Rectè admodùm obſervavit S. Auguſtinus, in quæſtione, de quâ agitur, ex unâ parte occurrere Legem, quæ prohibet mendacium, ex aliâ verò exempla numero plurima, quæ videntur probare mendacia ac præſertim ea, quæ fiunt causâ alienæ utilitatis. Iſtis exemplis adjici poteſt autoritas plurium Patrum, qui non videntur in eâ re conſentire cum S.

Auguſtino, quique etiam, ut creditur, ſcriptis ſuis aſſeruerunt, quibusdam in caſibus ipſam ut plurimùm urgere mentiendi neceſſitatem. Sic ſenſiſſe incuſantur imprimis Patres Græci, atque inter Latinos Lanctantius & S. Hieronymus qui dicuntur huic opinioni apertè faviſſe. Primò quidem referemus quâ ratione prædicti Patres fuerint locuti, deindè diſcutiemus quid ſit de eorum mente judicandum.

Origen. l. 6. ſtromat. ex Hieron. Apol. 1.

Origines, cujus Opus ſtromatum eâ in materiâ laudatur à S. Hieronymo, ait juxtà Platonis principia, ad quæ veritates Evangelicas accommodat, „ veritati „ quantùm fieri poteſt, eſſe adhærendum; „ Licèt mendacium Deum dedeceat, il„ lud hominibus aliquandò nihil inſervi„ re, aliquandò autem eſſe maximæ uti„ litatis; In eo caſu, quo confert ipſis „ utilitatem aliquam, poſſe ab illis reme„ dii loco vel per modum condimenti „ cujusdam adhiberi; Rem eſſe prorsùs „ indubitatam, quòd penès Medicos ſit „ uti remediis; At imprudentibus liberta„ tem eorumdem adhibendorum non eſ„ ſe relinquendam. Quod principium „ Platoni omninò probatur, qui addit, „ Principibus atque iis, ad quos ſpectat „ rerum Imperii adminiſtratio, qnandò„ que incumbere neceſſitatem mentiendi, „ aut ut noceant Hoſtibus, aut ut Pa-

„ triam

„ triam atque Cives tueantur; At, quod „ ad alios pertinet, qui neſciunt mendacio prudenter uti, eos ab eodem faciendo planè eſſe removendos. Huc uſque „ ſenſus ipſius Platonis redduntur, prout „ exprimuntur in ipſius libro 3. de Republicâ. Origenes addit: Quod autem „ ad nos ſpectat, ipſi ob oculos habeamus „ illud Apoſtoli præceptum; *Loquimini* Epheſ. 4. „ *veritatem unusquisque cum proximo ſuo.* „ Quærendum nobis non eſt, quis ſit „ proximus ille; Sed attento animo perpendenda hæc Philoſophi verba: *Mendacium ipſi Deo indecorum eſt, Hominibus* „ *verò modò utile, modò inutile.* Illud habere debemus tanquàm certiſſimum, Deum „ nequidē *ex diſpenſatione* mentiri poſſe, hoc „ eſt, ut commodis hominum provideat; „ Attamen, ſi ſic exegerit Auditoris utilitas, Deus ambigua verba profert, atque „ prout ſibi viſum fuerit, in ænigmate „ loquitur; Adeò ut & ſua veritati dignitas ſervetur, & quod poſſet populum „ offendere, ſi palàm & apertè detegeretur, ſalutari quodam velamento contegatur. Quod ad Hominem attinet, quem „ neceſſitas urget mentiendi, ſummoperè debet attendere, ut aliquandò mendacium adhibeat *per modum remedii aut* „ *condimenti cujusdam*, ac præſcriptæ regulæ potiſſimùm inſiſtat, neque ultrà „ limites prætergrediatur, in quibus Judith Judith. c. 1.

 „ conſ-

„ conſtitit adversùs Holophernem, quem
„ prudenti vicit verborum diſſimulatione.
Eſter, 2. „ Eſſe debet exemplo Eſter, quæ de ſentẽ-
„ tiâ propoſitâ dimovit Artaxerxem, ſuam
„ ei Nationem per multum diuturnumque
Gen. 27. „ tempus abſcondendo; Atque imprimis
„ Patriarcha Jacob proponendus eſt ad
„ imitandum, cui ex callido quodam men-
„ dacio largam legimus ſucceſſiſſe Patris
„ Benedictionem; Undè manifeſtè patet,
„ ſi mentiti fuerimus abſque ullius utili-
„ tatis intuitu, nos inimicos illius effici,
„ qui dixit: *Ego ſum Veritas*.

Hier. Apol. 1. 1. contrà Ruff. S. Hieronymus, à quo referuntur hæc Origenis verba, eum ridiculum facit, quanquàm ipſe in ſuo Commentario in Epiſtolam ad Galatas Cap. 2. ℣. 4. ejusdem ſententiam fuerit ſecutus.

Clem. Alex. lib. 7. Strom. „ S. Clemens Alexandrinus ait, menda-
„ cium fieri poſſe, ſeù, ut Philoſophi lo-
„ qui amant, poſſe dici falsum, quemad-
„ modùm Medici conſueverunt quò ma-
„ lè habentibus afferant levationem. Apo-
„ ſtolus Timotheum voluit circumcidi
„ etiam quo tempore palàm annunciabat
„ atque ſcribebat, circumciſionem manu
„ Hominum factam nullius eſſe prorsùs
„ utilitatis. Eâdem ratione egit, ne Hæ-
„ breos aurem ei dare jam incipientes,
„ necdùm Chriſtianam Religionem om-
„ ninò perſuaſam habentes cogeret ad
„ ſuis Synagogis planè renunciandum,
„ eos

„ eos nimirùm de Lege ad circumciſionem „ cordis ſimul ac ſine ullius ferè moræ „ intervallo transferens : Adeòque qui „ ſeſe paulò remiſſiorem præbet, ut con„ ſulat æternæ ſaluti ſui proximi, atque „ eâ de causâ ad ipſius ſenſum deſcendit, „ argui diſſimulantiæ damnandæ nullo „ jure poteſt, propterea quod alioquin „ Juſtis immineret periculum ex malâ „ eorum voluntate, qui ſunt illis male„ voli.

S. Baſilius, ſeu ille qui Regularum brevium Autor eſt à præcedentium ſententiâ totus alienus eſt, quippè qui ad propoſitam iſtam quæſtionem, ***Numquid utilitatis alicujus causâ conſultò mentiendum ſit?*** Sic abſque ullâ hæſitatione reſpondeat: ***Hoc ſententia Domini non permittit alicui; Sic præcisè dictum eſt, mendacium ex Diabolo eſſe.*** S. Baſil. Reg. brev. art. 76.

At S. Chryſoſtomus videtur longè aliter ſentire. Probat exemplo Medicorum, quibus uti fallaciis permittitur, ut afferant ſanitatem, iis prorsùs licere, qui animarum ſaluti invigilant, idem remedium [hoc eſt eaſdem fallacias] adhibere, atque etiam apud eos obtinere, ut frequentiùs adhibeant. Addit, plurimam utilitatem ineſſe fraudi, modò non accedat animus fraudandi, nec etiam fraudis nomine in ejusmodi circumſtantiis eſſe appellandam, ſed potiùs quamdam agendi ra- S. Chryſoſt. l. 10. de Sacerdot.

 tionem

tionem œconomicam atque politicam, cui competere poſſit ipſa appellatio ſapientiæ. Sic eâ de re habet in libro quem de Sacerdotio ſcriptis & in ſuo Commentario in Epiſtolam ad Galatas, cap. 12. & 27.

Cui ſententiæ ſubſcribit Caſſianus ejus Diſcipulus: Docet, mendacium eſſe quaſi quoddam Elleborum, aliquid habens quidem adjunctum periculi, ſed quod fiat omninò ſalutare, cùm alicui in extremis poſito præbetur; In ejusmodi caſibus adhibitum reperiri vel ab ipſis etiam Viris Sanctis & ab iis qui erant apud Deum acceptiſſimi; Quandò ex apertâ Veritatis confeſſione magnum aliquod imminet diſcrimen, poſſe recurri ad mendacium, quod alioquin prorsùs evitandum eſt. Eò uſque progreditur, ut aliquos etiam aſſerat ex mendacio juſtificari poſſe, quòd illud bono animo faciant, & Deus, qui Scrutator eſt atque Judex cordium, non ipſum ſonum verborum, ſed voluntatis atque intimi pectoris affectum conſiderans, eum juſtum habeat qui cum rectâ ejusmodi mente mentitur.

Synes. c. 104. Iisdem veſtigiis inſequitur Syneſius Epiſcopus Peluſiota: „ Philoſophus, inquit, quanquàm veritatis amans, indulget aliquandò neceſſitati mentiendi.... „ Quemadmodùm oculis malè affectis tenebræ neceſſariæ ſunt atque ſulutares, „ & plurimùm officit ſplendentis diei ful-

„ gor,

„ gor, ſic veritatem exiſtimo iis obeſſe, „ qui non eo animo valent, quo poſſint „ lumen illius ſuſtinere.

Theodoretus, S. Joannes Climacus & plurimi alii etiam adducuntur quaſi propugnatores extiterint opinionis, quæ ſententiæ S. Auguſtini tota oppoſita eſt. Quin etiam contenditur, in eandem deſcendiſſe recentiores aliquos Theologos. Hugo à S. Victore mendacia, quæ fiunt aut animo jocandi, aut ex modeſtiâ, equidem excuſat; At non vult, illa ſalutis alienæ nec temporalis nec æternæ poſſe ullatenùs adhiberi, quanquàm in ejusmodi caſibus non diffiteatur ſilentio diſſimulari poſſe. Eorum opinio, ut ait S. Auguſtinus, videtur ſuum ſibi vindicare fundamentum ex plurimis potiſſimùm exemplis, quæ deſumuntur ex ſcripturâ, & in quibus officioſa mendacia reperiuntur non ſolùm adhibita ab iis perſonis in iis circumſtantiis, in quibus non eſt, undè ſubeſſe queat locus excuſationi, ſed ipſis etiam præmiis decorata, adeò ut inferendum videatur, aliquandò poſſe mendacium non ſolùm non dignum eſſe reprehenſione, ſed & laudibus efferendum. Primum, quod occurrit, mendacium eſt Abrahæ, qui & ipſe dixit & ſic ab uxore voluit affirmari, ipſam eſſe ſuam ſororem, ne pro ſuâ uxore haberetur: Ipſius tamen ſoror in rei veritate

non erat, etiamſi poneretur, quòd potuiſſet eo nomine appellari, propterea quòd ipſi eſſet genere proxima; Vocem illam animo fallendi Abimelech adhibebat.

A mendacio vindicari nequaquàm illud poteſt, quod Jacob ait ſuo Patri, ſe ipſius eſſe primogenitum Eſau: Quod affirmat, omniaque componit ad illudendum Patri ſuo, pellibus tùm brachia, tùm manus circumvolvendo; Imponendo ei perſuadet, ſibi properanti ad venationem feram, quam quærebat, Divinâ voluntate protinùs occurriſſe, licèt optimè noſceret à ſuâ Matre fraudis participe hædum fuiſſe paratum atque conditum.

In eo autem multò validius eſt exemplum Ægyptiacarum Obſtetricum, quæ ſuis mendaciis Hebræorum infantulos conſervaverunt, quòd verbis expreſſis ibidem dicatur, à Deo fuiſſe remuneratas, *ædificavit eis domos*, ait ſacer Textus.

Quod idem judicandum de Rahab Meretrice commorante in Civitate Jericho, quæ cùm abſcondiſſet exploratores Iſraelitarum miſſos à Joſue, aſſeruit, eosdem apud ſeſe jam non extare, atque etiam viam indicavit, quam aiebat ab iis teneri, ut inquirentibus eos fucum faceret; Quam ipſius actionem legitur præmiis quoque fuiſſe donatam.

Neque verò ſolummodò proferuntur Teſta-

Teſtamenti Veteris exempla, quin etiam alia juvat ex Novo depromere, atque in id intenditur, ut ex ipſo J. C. qui veritas eſt, mendacio ſuperaddatur aliquid autoritatis. Cui rei videntur dare locum duæ, quæ ex ejus vitâ allegantur actiones: Ac primò quidem, quòd paulò antè ſuam Paſſionem dixerit, nequaquâm futurum, ut in Die Feſto Jeroſolymam aſcenderet, & nihilominùs aſcenderit; Secundò, cum poſt ſuam Reſurrectionem ſeſe comitem adjunxiſſet duobus Diſcipulis, qui faciebant iter ad Emmaiis, & à quibus non agnoſcebatur, & cùm iidem eò perveniſſent, *ipſe ſe finxit longiùs ire*, quanquàm haberet animo deſtinatum cum iis remanere. Quibus actionibus adduntur duæ circumſtantiæ ad eandem rem facientes, quanquàm non ita manifeſtæ ſint: Una quidem occaſione Mulieris laborantis hæmorrhoïdibus, cui cùm ex contactu fimbriæ ipſius veſtimenti ſanitas allata fuiſſet, ille magnâ Hominum turbâ undequaque premente, quæſivit quis iſtam fimbriam contigiſſet; Certò certiùs noverat; Utquid ergò ſic interrogat, quaſi fuiſſet iſtius rei prorsùs neſcius? Idem dicendum de interrogatione ab eo factâ, cùm deveniſſet ad locum, ubi ſepeliebatur Lazarus: *Ubi poſuiſtis eum?* inquit. Noverat procul dubio; Ut quid igitur ignorare ſeſe fingebat, & ubi jaceret quærebat?

Galat. v. 14. S. Petrus, ut tempori aliquatenùs ſerviret, volebat Gentiles ad Chriſtianam Religionem, non ita pridem converſos adſtringere ad judaïcos ritus : Ipſe ſimulavit, eorumdem comprobari ſibi neceſſitatem, & S. Paulus ei reſtitit ; Quidquid verò ſit, manifeſtum eſt à S. Petro fuiſſe falſitati pondus additum. Videtur autem S. Hieronymo fraus ibidem occurrere duplex, ſupponendo nimirùm ſanctos Petrum & Paulum inter ſe omninò conſpiraviſſe, & quæ inter eos orta eſt, altercationem ejuſmodi fuiſſe commentitiam atque de induſtriâ prorsùs excitatam. Quam eandem fraudem S. Paulus adhibuit, jubendo circumcidi Timotheum, ut ſcilicet Judæis converſis innueret, neceſſarios ſibi videri Judaïcos ritus.

Si conſulantur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Monumenta, plurima referuntur exempla Virorum, qui cùm fuerint, omni comparatione exceptâ, conſpicui tùm morum pietate atque ſanctitate vitæ, tùm factorum celebritate, videntur & ſuâ agendi ratione & aliquibus factis mendacium aut probaviſſe, aut etiam eodem uſi fuiſſe.

Quibus omnibus autoritatum teſtimoniis adjiciuntur etiam ſpecioſa ac plauſibilia rationum argumenta non quidem ex ipſis viſceribus Legis deducta, ſed quæ fundamentum habent ex publicâ privatâque autoritate & ex prætextu charitatis, quâ

quâ debemus proximum complecti. Aliquis occidendus à ſicariis inquiritur: Ille ſeſe in domum meam recipit. A me quæritur, nùm in domo meâ conſiſtat: Poſſum equidem tacere, at vel ipſum ſilentium eſt indicium ſufficiens, quo traditur. Indè conjicietur, illum exiſtere domi; De eâdemque interficiendus extrahetur. Secretum aliquod mihi committitur: De eodem ipſe interrogor; Secretum ſi proferam, abſque dubio teneor in culpâ. Tacitum verò ſi premam, arguitur indicium, quod in perniciem illius vertit, qui mihi concredidit ſecretum: Numquid non rectè agam, ſi planè negavero, ab eo mihi quidquam tale dictum, quod detegere animo pertenditur? In manus datur aliquod depoſitum: Quoniam verò inter me & Depoſitorem noſcitur ſocietatem intercedere, apud me protinùs acceditur, petiturque nùm non habeam iſtud depoſitum. Si vel tantillùm videar perplexè atque cum ambagibus loqui, ipſa tota domus excutietur, reperietur depoſitum & ecce Depoſitor totus perditus eſt atque etiam eradicatus. Suppono quidem injuſtam depoſiti inquiſitionem, & inquirentibus nihil in depoſito juris tribui, quippè qui aliter manifeſtæ faverem injuſtitiæ, quod nuſquàm licitum eſt; Nonne in ejusmodi caſu poſſum abſque hallucinatione aſſerere, apud me ne-

nequaquam exiſtere iſtud depoſitum eo nimirùm animo, ut Domino ſuo præſtetur integrum?

Ægrum aliquem Medicus inviſit: Si ei apertè dicat, futurum, ut ei tale remedium adhibeat, à quo ipſe æger totus alienus eſt, profectò illud reſpuet, quanquàm ad ipſius curationem ſic appoſitum ſit, ut illud omninò neceſſarium eſſe videatur; Numquid Medico non licet, ut illius ſaluti conſulat, illud remedium ſub alio ementito nomine offerre? Continget virum aliquem ægrum jacentem, uxore ſuâ orbatum fuiſſe illiuſque mortis eſſe penitùs inſcium: Abſque dubio futurum eſt, ut ipſe moriatur, ſi fuerit ei iſta mors denunciata; Petit ille ab iis qui lecto aſſident, nùm ſua uxor obierit, necne. Si ſiluerint iſti, protinùs intelliget, eandem eſſe mortuam, & ipſe ex ſummo dolore animam efflabit: Si dictum è contrariò fuerit, licèt contrà rei veritatem, ipſam vivere, ille ex toto reſtituetur.

En alius occurrit ſubtilior caſus, quem ſibi proponit S. Auguſtinus: Offert ſeſe tibi Viator aliquis qui petit à te, an futurum ſit, ſi certam quandam viam iniverit, ut obviam habeat graſſatores. Eſt tibi perſuaſiſſimum, eidem te eſſe ſuſpectum, &, ſi reſponderis affirmativè, futurum, ut aliam viam ingrediatur, ne in ipſos graſſatores incurrat: Nonnè quanquàm

quàm falsò, ſic potes affirmativè reſpondere, & licèt perſpectum tibi ſit in iſtâ viâ graſſatores inſidiari, ut nimirùm iſte infortunatus ſeſe ſervet ab iisdem ſanum atque incolumen aliam viam ineundo, quæ graſſatoribus non ſit infeſta.

Quæ huc uſque attigimus, ad ſola temporalia commoda vitamque Hominum ſpectant; Nunc ea proſequamur, quæ ad ſpiritualem utilitatem propiùs attinent. Nonnè poteſt adhiberi mendacium, ut Hæretici occulti detegantur, quemadmodùm olim Flavianus egit, ut detegeret Meſſalianitas? Quemadmodùm quoque plurimi tùm Epiſcopi, tùm Evangelii præcones degentes apud Exteras Nationes fecerunt multis in occaſionibus, ne venenum hæreſeos latiùs ſpargeretur. Nonnè à fortiori mentiri licet, ut æternæ ſaluti conſulatur? Quam difficultatem S. Auguſtinus dilucidiori, quæ deſiderari poteſt, ratione ſic exponit: „ Ipſum „ etiam nobis objicitur periculum ſalutis „ æternæ, cui alii exponuntur ex illâ „ nolendi mentiri obſtinatione, quibus, „ cùm nonniſi mendacio ſuccurri poſſit, „ mentiendo ſalus afferretur æterna; „ Exempli causâ, ſi baptiſandus aliquis „ reperiatur apud Impios atque Infideles, „ nec ad eum uſque poſſit perveniri, ut „ baptiſetur, niſi mendaciis imponendo „ Perſecutoribus. „ Qui quidem caſus

vi-

videtur uſum mendacii poſcere atque omninò probare ejus neceſſitatem: Neque enim jam quæſtio eſt, utrùm poſſit adhiberi mendacium pro futilibus atque tranſitoriis hujus ſeculi bonis atque honoribus, neque etiam pro temporali vitâ; Sed agitur de ipsâ æternâ alicujus ſalute. Poſſunt & alii caſus occurrere, in quibus mentiendo multorum ſaluti æternæ conſuletur. Miſſionarii petunt Japoniam, Sinam atque alias longinquas Regiones: Earumdem aditu prohibentur eo ipſo, quòd ut Chriſtiani, atque à fortiori, cùm Chriſtianæ Religionis Præcones agnoſcuntur: Sub ementito habitu gerunt alienam perſonam (quod nusquàm interdicitur;) In ipſo deſcenſionis faciendæ momento interrogantur, nùm non Europæi ſint & Chriſtiani, iiſque permiſſo quòd Chriſtianam ſectentur Religionem, ulteriùs urgetur, nùm Miſſionarii non ſint, atque eandem diſſeminaturi non accedant? Si fateantur, protinùs propelluntur: In Regionem iſtam nequaquàm recipientur, neque Meſſem facient, quæ ibidem eſt multa atque copioſiſſima. Quantùm indè detrimenti derivatur in ipſam Religionem! Quæ futura eſt tot Hominum funeſtiſſima ſors, quorum, ſi aures pertigiſſet ipſius Evanlii verbum, Cor divinâ gratiâ fuiſſet protinùs commotum, quique lumen verita-
tis

tis ſecuti potuiſſent æternam conſequi ſalutem.

Mendacium, quod eo fine efficitur, ut aliis ſibique volupe fiat, nihil culpæ prorsùs habere videtur: Ejus generis autem plurimæ ſpecies diſtinguuntur. In aliis cum habetur ſermo, innuitur vel ipsâ rei exprimendæ ratione, vel ipſius vocis ſono, vel ipſo geſtu, illud quod dicitur nonniſi jocorum facetiarumque gratiâ proferri. Abſque dubio eſt, atque de hoc ipſo nulla eſt, teſte S. Auguſtino, controveſia, ejusmodi loquendi formulas, quibus ſpecies mendacii videtur ſubeſſe. nequaquàm eſſe mendacia: *Exceptis jocis,* inquit, *quæ nunquàm ſunt putata mendacia; Habent enim evidentiſſimam ex pronuntiationibus, atque ex ipſo jocantis affectu ſignificationem animi nequaquàm fallentis, etſi non vera enuntiantis.* Quod idem dicendum eſt de fabulis, Poematibus, Commentis Poeticis, Comœdiis, fabularibus hiſtoriis, & Narrationibus, quæ paſſim circumferuntur ſub appellatione gallicâ *Romans*: Subintellectâ namque materiâ, quæ ſubjicitur, & rerum, quæ narrantur, ipsâ conditione, nec audientes in erroris periculum incurrunt, nec dicentibus animus ineſt fallendi; Adeòque nihil in iis occurrit prorsùs mendacii. At in ſequentibus, quæ videntur ad idem genus accedere, poteſt aliquatenùs mendacium reperiri.

Auguſt. lib. de Mendac.

N

Ab aliquo refertur facinus, quod contigit, narratur aliquid novi, Caſus aliquis profertur quaſi reverà certiſſimè advenerit, eo nimirùm animo ut riſus delectatioque moveatur adſtantibus: Alius aliquid commentitur, ut alii lætitiam incutiat, vel timorem, propterea quòd res ad eundem pertinens agatur. Primus imponit adſtantibus; Alter falſam lætitiam alicui privato affert, aut triſtitiam, quæ eſt omni prorsùs vacua fundamento. Error diuturnus non eſt: Ipſam citò citiùs detegunt rei veritatem, neque ex ſuo mendacio referunt aliud, quàm ipſum lætitiæ ſenſum, quòd gratum errorem aliis induxerint. Plurimus indè cachinnus concutitur, multùmque indè ſeſe adſtantes oblectant, totus denique ridet indè ſermo atque redintegratur: Nedùm diſpliceat, qui ſic errore alios circumvenit, quin immò magis amatur; Neminem ipſius mendacium offendit, è-contrario lætitiâ effert. Nùm jure poteſt reprehendi?

Eſt & mendaciorum tertia ſpecies, quibus videtur aliquid ſubeſſe pietatis, & ea ſunt, quæ ex modeſtiâ animoque ſeſe minuendi proferuntur. Seſe peccatorem aliquis exaggerat omninò ingentem: Quin etiam ſeſe peccatorum arguit atque reum profitetur, quæ nequaquàm commiſit, quanquàm eiſit perſuaſiſſimum, ſeſe ſanc-

tè atque integrè & etiam juxtà præcepta chriſtiana vitam degere, neque unquàm in ea peccata incidiſſe, quæ palàm confitetur. Religionis aliquis, qui de aliquâ culpâ à ſuo Præpoſito reprehenditur, quanquàm ab eâdem prorsùs vacet, & ipſi Præpoſito ſit perſpectum, eum ab illa longè remotiſſimum eſſe, iſteque Præpoſitus eum non-niſi deprimendi causâ de eâdem præſente Communitàte reprehendat, ſeſe ejusdem reum agnoſcit, corpus humi proſternit, veniam ſupplex depoſcit, pœnam ſibi impoſitam animo ſubit libenti : Quæ quidem agendi ratio ex promptâ obedientiâ magnâque humilitate tota procedit, ipſius eſt propriæ voluntatis deſpicientiæ exceſſus, ut totum ſeſe ſubdat voluntati ſui ſuperioris. Ejusmodi animi diſpoſitio nedùm Condemnanda, nonnè potiori jure habenda ut ſumma cumulataque virtus? Sic agere conſueverant priſtini Solitarii Orientales; Sic hodiernis temporibus obtinet in Monaſteriis, quæ ſtrictiorem Diſciplinæ Monaſticæ auſterioremque ſequuntur-obſervantiam.

En quæ plauſibiliora pro mendacio poſſunt afferri, animoque metus quidam ſubit, ne mihi veritas objiciat, quòd in Tractatu, in quo veritatis ipſius partes ſuſcepi defendendas, nimiò plus, quàm par erat, iisdem pretium addiderim : At

ipſa me veritas docet, nihil abſcondendum eſſe, neque diſſimulandum. Ipſa viribus ſufficiens eſt, ut, quibus eam impugnare contenditur, difficultates omnes exorbeat, ſatis luminoſa, ut fucatos rationum Humanarum ſplendores diſpellat, ſatis potens, ut vel etiam poſſit in obſcuriores tenebras penetrare. Ipſam igitur loquentem jam admittamus; Sed quoniam locus eſſe poſſet diffidendi nobismet ipſis, ducem fidelem ſecuturi ſumus, qui nos ab omni erroris periculo ſervabit incolumes.

Dux ille S. Auguſtinus eſt, vir ſine exceptione eximius ac magnus, qui materiam iſtam non per tranſennam excuſſit, ſed in duobus libris ex profeſso ſcriptis atque in plurimis aliis operum ſuorum locis quidquid ad eandem pertinebat, totum in eam tractandam contulit: En quod eâ de re habet eâ cum animi modeſtiâ, quâ plurimùm pollebat, in primo libro retractationum ſuorum operum.

„ De mendacio conſcripſi Tractatum, „ ad cujus intellectum licèt opus ſit aliquâ animi contentione, nihilominùs „ non erit inutilis certa quædam attentio, quæ poteſt adhiberi, quin immò „ plurimùm poterit ad mores in eo conducere, quòd multùm valeat, ad obfirmandum animum in propoſito nunquàm

„ à

„ à vero ne lato quidem ungue diſce-
„ dendi. Cogitaveram iſtum Tractatum
„ è numero Librorum meorum expun-
„ gere, quòd mihi videretur obſcurus,
„ intricatus atque Lectori nimiùm per-
„ gravis: Eamque potiſſimùm ob cauſam
„ animo fuerat obfirmatum, ne eundem
„ publici juris efficerem. Poſtmodùm,
„ cùm alium ſcripſiſſem, cui titulus eſt
„ *Contrà Mendacium*, nova mihi cauſa
„ accedere videbatur, cur eum juberem
„ ſupprimi; At nequaquàm ſuppreſſus
„ fuit. Indè factum eſt, ut in retractan-
„ dis operibus meis, cùm illud occurre-
„ rit integrum, operæ pretium eſſe du-
„ xerim, eidem locum impertire inter
„ Opera, quæ recognoſcebam, ac potiſ-
„ ſimùm, quia quædam neceſſaria, quæ
„ in priori tractatu non leguntur, expo-
„ nebat. Primus ille Tractatus titulum
„ habet *Contrà Mendacium*, & alter *De
„ Mendacio*. Jamverò cauſa iſtius diver-
„ ſitatis titulorum indè deſumitur, quòd
„ in priori mendacium apertè impugnem,
„ in poſteriori verò potiſſimùm incum-
„ bam in inveſtigando quâ ratione quæ-
„ ſtio ſolvatur. Cæterùm idem eſt utriuſ-
„ que Libri intentum, idemque finis.

In utroque autem allegato Libro totus eſt S. Auguſtinus, in contendendo & aſſerendo, numquàm licere mentiri, quicumque prætextus afferri poſſit, quod-

cumque bonum indè ſperari poſſit, quodcumque etiam malum ex ejusmodi veritatis diſſimulatione animo habeatur impediri. En principia, quibus innititur.

Lex ſententiæ meæ tota adſtipulatur: Mendaciumque nullâ factâ exceptione ut cætera alia crimina prorsùs interdicit: Nulla Legi ſubeſt exceptio, neque circumſcriptio; Nec ullus uſpiàm occurrit locus aut in Veteri, aut in Novo Teſtamento, undè poſſit demonſtrari, mendacium in quibuſdam permitti circumſtantiis, quæcumque illæ poſſint aut reverà exiſtere, aut animo concipi. Ratione verò extrà omnem dubitationis aleam poſitum eſt, mendacium omninò prohiberi; Ergò mentiri nusquàm licet.

Lex eâ de re in decalogo prorsùs expreſſiſſima eſt: *Falſum teſtimonium non dices.* Quæ Lex non intelligenda tantummodò venit de teſtimonio, quod in Judicio fertur, ſed de omni quocumque generatim teſtimonio, cujus perhibendi neceſſitas ſeſe offert vel apud Magiſtratum, vel apud Amicos noſtros, vel apud quemdam Conventum, vel tandem apud proximum; hoc eſt, juxtà ſaniorem illius poſtremi vocabuli interpretationem, apud omnes Homines. Neque verò minùs diſerti atque luculenti ſunt alii ſacrarum Paginarum Textus, iique loquuntur in genere de omni ſpecie Mendacii, quæ-

cumque

eumque ſit. In Pſalmo 15. ℣. 5. *Diſperdet Deus omnes qui loquuntur mendacium.* In Proverbiis, enumeratur inter ea, quæ Deus magis odit, ille qui mendacium profert ibidemque vulgare mendacium à falſo teſtimonio diſtinguitur. *Sex ſunt, quæ odit Dominus.... proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter Fratres diſcordias.* Quæ eædem tùm diſtinctio, tùm condemnatio iterùm repetuntur in eodem libro: *Falſus teſtis non erit impunitus*; Quod imprimis ſpectat ad falſum teſtimonium, Deindè mendacium à falſo teſtimonio ſecernitur his verbis: *Falſus teſtis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit.* Sic etiam habet Autor Libri Sapientiæ: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Prov. 6. ℣. 4. & 18. Sap. ℣. 1.

In Novo Teſtamento J. C. hoc nobis pro ſacro-ſanctâ Lege poſuit, ſcilicet juxtà quod animo gerimus, adhibendas iſtas voces, affirmativas quidem, *eſt, eſt*; Negativas verò, *non, non. Sit*, inquit, *ſermo veſter, eſt, eſt, non, non.* Matth. 4. ℣. 37.

Apoſtolus S. Paulus cùm ait, exuendum eſſe veterem hominem, (quâ voce vult, quodcumque peccati genus intelligi) conſequenter ſubjicit: *Quàpropter deponentes mendacium, loquimini veritatem.* S. Joannes omnia mendacia in genere reprobat, utpotè quæ è veritate non procedant: *Quoniam omne mendacium ex veritate* Epheſ. 4. ℣. 25.

ritate non eſt. Apoſtolus Paulus non vult, Chriſtianos in id incumbere, ut ſibi invicem imponant: *Noli te mentiri invicem.*
Coloſſ. ♈. 9. Inſigne verò ejus rei documentum eſt, quòd Ananias & Saphira pœnam mortis eam ob cauſam fuerint perpeſſi, quia dixêre mendacium. Eos interrogat S. Petrus, nùm agrum ſuum pluris non vendidiſſent, quàm afferebant, & addit:
Act. 5. *Nonnè tibi manens manebat, & venundatum in tuâ erat poteſtate?* Attamen, quoniam mentiti ſunt & affirmaverunt, ſuum agrum non pluris fuiſſe venundatum, quàm afferebant, mendacii pœnam morte dederunt: *Non ſolùm mentitus es Hominibus,* inquit, S. Petrus, *ſed & Deo.* Eorum mendacium ipſis hominibus imponebat, qui illud idem detegere nequiviſſent: At Deus, cui vel etiam innoteſcunt interiora cordium ipſam eorum fraudem perſpectam habebat, eamdemque eò ſeveriùs punivit, quòd in ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis plurimùm referret, dari pœnarum exempla, quibus animadvertebatur in Chriſtianos qui deerant bonæ fidei atque probitati.

Nihil eſt neque in Veteri, neque in Novo Teſtamento, undè generales iſtas Leges aliquatenùs reſtringi videatur; Jam conſiderandum, nùm id exempla valeant, ut easdem aliquâ ratione coanguſtent.

Exemplis è veteri Teſtamento deductis

tis duas opponit S. Auguſtinus generales Reſponſiones, aut in iisdem nihil occurrere mendacii, aut ſi quid reperiatur, ea Regulæ loco minimè habenda eſſe, quanquàm à Viris Juſtis atque Sanctis exhibita fuerint, quoniam *conſtat, quòd non omnia, quæ à Sanctis, vel à Juſtis viris legimus facta, transferre debemus in mores*; Aut tandem in ejusmodi mendaciis obvelatam fuiſſe aliquam veritatem, quæ figuræ ac Myſterii alicujus rationem occultam gerebat, juxtà quam interpretanda ſunt ipſa eorum mendacia. Nunc unumquodque eſt exemplum ſeorſim diſcutiendum.

S. Auguſtinus Abraham facit ab omni mendacio eximium, in eo quòd uxorem ſororem ſuam mentitus ſit, quoniam in ipsâ rei veritate ſic erat ipſa ei genere proxima, ut eam poſſet ſub appellatione ſuæ ſororis circumferre, quemadmodùm ipſe declaravit, cùm rem ipſam poſteà neceſſe fuit manifeſtiùs aperiri. Non ſignificaverat, eandem eſſe ſibi uxorem, quanquàm reverà foret, eamque ſororem eſſe ſuam declaravit, quòd eo nomine poſſet ipſa appellari: Nihil in eo aliud eſt, quàm reticentia omninò licita.

Habet Exemplum Jacob aliquid, quod difficilius eſt; Illud S. Auguſtinus mendacio vacuum non aliâ ratione contendit, quàm quia tipus ibidem occurrit Veteris & Novi Teſtamenti. At veriſi-

mile non eſt, ipſum Jacob veniſſe in notitiam Myſterii; Adeòque non eſt, undè poſſit mendacii atque culpæ Jacob omninò immunis haberi, quanquàm in eo, quod geſſerit, figuram reperiri aſſeratur. Eſt ergò in ejusmodi exemplo recurrendum ad Regulam generalem, nempè, non omnia, quæ facta legimus à ſanctis à Juſtis viris, in mores eſſe transferenda.

Nihil effici quidquam poteſt ex exemplis Obſtetricum Ægyptiacarum & Meretricis Rahab, quippè quæ non fuerint ex Gente Hebræorum: Sic autem reſpondetur, ipſas non ob ſuam fraudem præmiis fuiſſe decoratas, ſed propter miſericordiam atque benevolentiam. Ipſæ & Ægyptiacæ obſtetrices & Meretrix Rahab nihil niſi temporariam retulerunt mercedem non quidem ex ſuo mendacio, ſed ex eo potiſſimùm, quòd Hebræis benevolæ fuerint.

Quoad Exempla, quæ proferuntur ex Novo Teſtamento, multò facilius eſt, eadem veritati conciliare. Dominus noſter qui ipſa Veritas erat, quique eàm ob cauſam in Mundum venerat, ut eandem annunciaret, atque perhiberet ei teſtimonium, non poterat aliquo modo mentiri; Neque quis unquàm auſus eſt ei dicere, quòd fuerit mendax. Sic autem eâ de re S. Auguſtinus habet: *Mentitus eſt Chriſtus, ubi dixit*, Non aſcendo ad diem

Aug. Serm. 133. de verb.

diem feſtum .... *Dic mihi, quomodo non ſit mentitus qui dixit;* Non aſcendo & aſcendit? *Dicam ſi potero .... Ipſa verba ſolvunt quæſtionem. Multis diebus agebatur ille dies feſtus: Ad iſtud utique hodiernum, quandò illi ſperabant, non aſcendit, ſed quandò ipſe diſponebat .... Hoc ille voluit, ut fratres ejus præcederent.* Aliundè verò J. C. ſecundùm hominem loquens, omninò potuit dicere, futurum, ut Jeroſolymam per totam feſti ſolemnitatem non aſcenderet, quoniam ita primùm ſibi fuerat animo propoſitum, ac deindè potuit propoſitum immutare atque ad diem feſtum nihilominùs aſcendere: Non quidem, quòd ignoraret, futurum, ut in rei veritate aſcenderet, ſed quia loquebatur *humano modo*, hoc eſt, nondùm animo deſtinaverat aſcendere.

Evangel. lic. n. 7. op. t. 5. p. 561. & 562.

In iſtâ agendi ratione, quâ J. C. cùm Emmaiis perveniſſet ſe finxit longiùs ire, nulla fallacia eſt, nullumque mendacium; Modus ibi reperitur quidam ſeſe gerendi officioſus, atque reverà longiùs progreſſus fuiſſet, ni eum duo diſcipuli rogaviſſent, ut vellet cum eis remanere.

Interrogationes, quas adhibuit occaſione Mulieris hœmorrhoïdibus laborantis & Lazari in ſepulchro jacentis, nihil aliud offerunt, quàm quod in ejuſmodi caſibus inquiri conſuetum eſt. Procul dubio noverat J. C. quod quærebat: Sed quoniam

niam cæterorum Hominum more agebat, ſic eum decebat interrogare; In eoque ne vel etiam umbra detegitur mendacii.

Sola jam ſuperſunt, quæ opponuntur ex ſcripturâ, exempla S. Peri & S. Pauli. Eſt equidem fatendum, ab omni ſimulatione S. Petrum in eo non poſſe vindicari, quod attinet ad legales cærimonias: Eidem S. Paulus in faciem reſtitit, *quia cogebat Gentes judaïzare*, hoc eſt, eas cæremoniarum Legis obſervationi addicebat. *Hoc error quorumdam putabat*, inquit S. Auguſtinus, *hoc timor Petri ſimulabat*, hoc libertas Pauli redarguebat.

Gal. 2. v. 14.

Somnium eſt atque Chimæra illud, quod S. Hieronymus finxit, nimirùm SS. Apoſtolos Petrum & Paulum inter ſe omninò conſpiraviſſe, & contentionem de ritibus Legalibus de induſtriâ excitaviſſe, quod S. Auguſtinus penitùs evertit ut omni prorsùs vacuum fundamento.

Sed nec ſimulationis aut fallaciæ S. Paulus indè arguatur, quòd juſſerit Timotheum circumcidi? Neque *enim id fecit ex ſimulatione, ſed ex libertate ſententiæ ſuæ*, eo nimirùm animo, ut ratione habitâ circumſtantiarum, in quibus tunc reperiebatur, Religioni magis conſuleret.

Nihil quidquam S. Auguſtinum commovent exempla neque teſtimoniorum autoritates, quæ deducuntur ex Hiſtoricis Monumentis. Ipſe ſolidiora atque inconcuſſa

cuſſa pro veritate aſſerendâ ponit in ejuſdem veritatis fundamento, quibus quodcumque mendacii genus aggreditur.

Hoc primum ſtatuit, mendacium in ſe ipſo ſpectatum eſſe peccatum: Aliquid eſt falſum, quod eo animo profertur, ut cæteris fucus fiat, atque aliter innuatur, quàm interiùs ſentitur. Quod cùm ſit à veritate, bonâ fide atque juſtitiâ prorsùs alienum, manifeſtum eſt habere rationem peccati, quod æternâ Lege interdictum eſt, neque poſſe in bonum actum unquàm converti; Quod enim prohibet Lex, ſemper peccatum eſt. Præceptum non mentiendi eſt generis ejuſdem, cujus illa, quæ prohibent, ne fiant idola, ne committatur adulterium, ne quis faciat furtum, aut occidat; Eâdem ratione abſolutum, eſt, atque generale. *Quod iſto præcepto abſolutivè*, Non mentiemini; inquit S. Auguſtinus, *ſic etiam dictum eſt*, Non facies tibi idolum, *quod factum non poteſt aliquandò juſtum eſſe. Et quomodò dictum eſt*, Non mæchaberis. *Quis autem dicat mœchiam aliquandò juſtam eſſe? Et quomodò dictum eſt*, Non furaberis. *Secundùm illam furtiti definitionem juſtum eſſe furtum nunquàm poteſt.* Et non occides; *Quoniam cùm homo juſtè occiditur, Lex eum occidit, non tu. Numquid dici ita poteſt, cum, homo juxtè mentitur, Lex metitur?*

Aug. quæſt. 68. in Levitic. Op. t. 4. pag. 520. 2.

Sic

Sic ſe habet, quod ſecundo loco S. Auguſtinus principium ſtatuit, nempè non aſſeri poſſe, dari peccata, ut ita dicam, compenſativa, hoc eſt, quæ peccata eſſe indè deſinant, quòd aliquid poſſint boni atque utilitatis afferre. Peccatum & actus bonus duo contradictoria ſunt. *Qui dicit, aliqua juſta eſſe mendacia*, ait idem S. Doctor, *is judicandus eſt dicere, aliqua juſta eſſe peccata, ac per hoc aliqua juſta eſſe, quæ injuſta ſunt, quo quid abſurdius dici poteſt? Dicantur ergò alia magna alia parva eſſe peccata, quia verum eſt: Nec auſcultandum Stoïcis, qui paria eſſe contendunt. Dicere autem, quædam injuſta, quædam juſta eſſe peccata, quid eſt aliud, quam dicere, quasdam eſſe injuſtas, quasdam juſtas iniquitates?*

Idem. pag. 466. n. 30. *Non de ſolo itaque mendacio*, pergit S. Auguſtinus, ſed de *omnibus operibus Hominum, in quibus exiſtunt velut compenſativa peccata, conſiderandum eſt quam ſententiam proferre debeamus: Ne aperiamus aditum non tantùm parvis quibusque peccatis, verùm etiam ſceleribus cunctis, nullumque remaneat facinus, flagitium, ſacrilegium, in quo cauſa non poſſit exiſtere quâ rectè videatur eſſe faciendum, univerſamque vitæ probitatem opinio iſta ſubvertat.*

Quod principium S. Auguſtinus multis exemplis comprobat, ac potiſſimùm exemplo caſtitatis. Unus eſt omnium conſenſus,

ſus, nullum eſſe caſum, in quo liceat eandem violare, quidquid indè poſſit boni ſive ſpiritualis, ſive temporalis ſperari. Quidni de veritate, quæ caſtitatis fundamentum eſt, idem non dicamus? *Quid nos tantùm promeruit caſtitas, & offendit veritas?* Omnis caſtitas originem à veritate deducit, quæ animæ, non corporis, caſtitas eſt; Quin etiam ipſa corporis caſtitas ſibi pro principio vindicat animæ caſtitatem.

Tertium iſtud ponitur principium, eo ipſo, quòd labefactatur obligatio veritatis ſemper enunciandæ, nihil jam certi ſupereſſe: *Si licitum eſt mentiri*, ait S. Auguſtinus, *tota auctoritas dicentis, aut prædicantis caderit, ne fortè putetur, hunc mentiri, cùm præcipit, ut credamus.* Quidquid contendat vir aliquis ſpectatæ integritatis, ut affirmando perſuadeat, rem ita ſeſe habere, menti poterit occurrere, ab eo certis aliquibus ex cauſis illud proferri, quod ipſi veritati è diametro adverſatur; Si ſemel percellitur aut imminuitur autoritas ipſius veritatis, nil niſi dubium remanebit. Auguſt. de mendacio.

Quartum principium in eo conſiſtit, quòd, ſi relinquatur hominibus libertas eo fine mentiendi, ut vitetur majus aliquod malum, ipſa jam veritas ſubdatur arbitrio eorumdem hominum, qui pretioſiſſimis parva viliaque ſæpè ſæpiùs habent.

Idem de mendacio.

bent potiora. *In hoc errant homines*, ait S. Auguſtinus, *quòd ſubdunt pretioſa vilioribus; Cùm enim conceſſeris, admittendum eſſe aliquod malum, ne aliud gravius admittatur, non ex regulâ veritatis, ſed ex ſuâ quisque cupiditate atque conſuetudine metitur malum, & id putat gravius, quod ipſe ampliùs exhorreſcit, non quod ampliùs reverà fugiendum eſt. Hoc totum ab amoris perverſitate naſcitur vitium.* Sic continget, ut pro libitu mentiantur Homines, atque ex eâ opinione, nimirùm ſuum mendacium multò levius eſſe peccatum ipsâ actione, quam eodem mendacio impediunt.

Ut autem ſubjectæ materiæ finis tandem imponatur, ipſa jam ſuperſunt perpendenda teſtimonia SS. Patrum, quos ſententiæ S. Auguſtini diſſentire contenditur. Iſtam verò inquiſitionem R. Pater Thomaſſin fusè admodùm proſecutus eſt in ſuis Tractatibus Hiſtoricis atque Dogmaticis: Quibusdam inſiſtemus tantummodò adnotationibus, quæ nobis videntur eò ſatis ſuperque conducere, ut de ejusmodi autoritatum teſtimoniis omnibus quodnam decretorium judicium ferendum ſit, agnoſcatur.

1. Fatendum eſt, ab Origene mendacium in quibusdam occaſionibus fuiſſe Populorum Gubernatoribus ac publicarum Rerum adminiſtris permiſſum: Quam opi-

opinionem ex nimio potiſſimùm ſtudio autoritatis Platonis, cujus ipſiſſima verba refert, amplexus eſt. Ille autem ſeſe præbet ubiquè ferè totum ancillantem ſenſibus Philoſophorum Paganorum & in eorum verba nimiùm ſerviliter jurantem. In eandem partem traxit plurimos alios Græcos Autores, & quidam etiam Sancti Monachi reperiuntur, qui ab ejusdem opinionibus non ſatis præcaverunt. Quòd verò ab illo recedatur in eo, quod de mendacio docuit, hoc non magis ægrè ferendum eſt, quàm quòd deſeratur in plurimis aliis opinionibus, quas Eccleſia condemnavit.

2. Non videntur aliqui Patres Græci eam ſibi finxiſſe de Mendacio notionem, quam habere par eſt, aut ſaltem ſuum eâ de re ſenſum cum ſufficienti perſpicuitatè atque præciſione verborum declaraviſſe: Illi *fraudem* atque *mendacium* aliquandò dicebant, quod apud nos ſortitur *reticentiæ*, *œconomiæ*, atque *ſapientis diſpenſationis* appellationem. In eâ verò vocum ambiguitate potiſſimùm innititur, quam aliquandò feciſſe videntur adhibendorum officioſorum mendaciorum licentia. Sic ipſe S. Chryſoſtomus intelligendus eſt, cùm fraudem quamdam quam bono, ut ait, animo fecerat, ſibi proponit ab omni culpâ vindicare: Jamverò ne fraudis quidem umbram attigerat. Occultaverat

S. Chryſoſt. lib. I. de Sacerd. cap. 3.

cultaverat ſcilicet Amico ſuo Baſilio; quod deſtinatum erat, propoſitum eum in Epiſopum eligendi: Quæ ſilentii ſecretique prudentia poterat in ejusmodi occaſione Eccleſiæ plurimum utilitatis afferre; Eam tamen rationem agendi dicit eſſe dolum quemdam permiſſum ac fraudem, quam ſuſcipit defendendam. Toto autem Cælo hæc duo diſtant, nimirùm ſic tacere atque falſum dicere: Quâ quidem obſervatione S. Chryſoſtomus totus adversùs ſe ipſum vindicatur, quin etiam poſſunt eâdem ratione plurimis in locis Origenes, S. Hieronymus atque vel etiam ipſe Plato defendi. Iſtam verò obſervationem ab ipſomet S. Chryſoſtomo mutuamur: Ipſe namque ſermonem habens de S. Paulo, qui poſtquàm circumciſionem reprobaviſſet, eandem nihilominùs voluit deindè ſuo Diſcipulo Timotheo adhiberi, iſtam agendi rationem appellat piam fraudem, ex quâ plurima utilitas derivatur, modò malâ mente non fiat; *Fraudis quidem*, inquit, *magna vis, modò ne fraudulento eo animo fiat.* Poſtmodùm vocabulum illud *Fraudis* quaſi arguens, ſic corrigit ſubjectis verbis, quæ ſequuntur. *Quam ipſam tùm ne fraudem quidem nominandam, verùm œconomiam potiùs, ac ſapientiam artemque, quâ poſſis è mediis iisque inperviis deſperatarum rerum anguſtiis difficultatibusque, correctis emenda-*

Ibid. l. 1. de Sacerd. c. 5. tom. 4. p. 13.

emendatiſque animi vitiis, evadere.

Eâdem utendum etiam obſervatione, ut S. Clemens Alexandrinus ab omni erroris labe purgetur in loco, cujus ſenſus ſuperiùs exhibitus eſt. Manifeſtum namque eſt, ab eo appellari *mendacium* ac *dictum falſum*, quod in rei veritate nihil aliud eſt, quàm prudens ſapienſque diſpenſatio, neque verò voces illas adhibet, niſi poſtquàm obſervavit, ſeſe eaſdem à Sophiſtis mutuari; *Mentietur*, inquit, *aut falſum dicet*, *ut aiunt Sophiſtæ*. Exemplum, quod laudat, S. Pauli circumcidentis Timotheum, ſatis declarat, ipſum non loqui niſi de œconomiâ atque prudentiâ, nequaquàm verò de eo, quod mendacii falſitatiſque nominibus intelligimus.

3. Quòd Græci Latinique PP. officioſis mendaciis non faverint, ut contenditur, indè potiſſimùm apertum fit, quòd exceptis locis qui ex iiſdem allegantur, ipſi reperiantur ubique ac paſſim in ſuis Operibus omni omninò mendaciorum falſitatumque generi prorsùs adverſari atque reclamitare. Textus ergò eorum ſubobſcuri & difficiliores ſunt ex aliis, qui mentem eorumdem apertiùs reddunt, interpretandi. Quantâ autem verborum vi Laudati ſancti repugnaverint omni quodcumque ſit, mendacio, teſtis eſſe poteſt ipſe Liber P. Thomaſſini,

S. Clem. Strom. l. 7. pag. 524. quem jam indigitavimus. S. Clemens Alexandrinus inter alios non vult, juſtum, cujus imaginem perſonamque exhibet, neque mentiri unquàm, neque datæ fidei ne leviſſimè quidem deeſſe, *etiamſi moriatur in tormentis.*

4. Quod ſpectat ad autoritatem S. Hieronymi, reſpondendum eſt, viſum equidem fuiſſe ſanctum Doctorem officioſo mendacio aliquatenùs favere in eâ contentione, quam habuit cum S. Auguſtino circà reprehenſionem, quam S. Petro S. Paulus adhibuit, at poſtmodùm ad ſententiam ipſius S. Auguſtini reverſum fuiſſe, ut poſtremus iſte teſtatur in ſuâ ad Oceanum Epiſtolâ: *Eandem de iſtâ re dictiſque Apoſtolis ſententiam tenuit* (*prædictus venerabilis Frater Hieronymus*) *quam Beati Cypriani etiam nos ſecuti ſumus.* (S. Aug. Ep. 260.)

5. Sic ipſe S. Hieronymus à ſuſcipiendis mendacii partibus abhorrebat, ut eidem indat appellationem etiam ſacrilegii; Eo nimirùm nomine vocat mendacium in Epiſtolâ, quam Lætæ inſcribit. Illi autor eſt, ut ſuam filiam tradat educandam in Monaſterio Virginum, in quo inter cæteras vitæ benè inſtituendæ rationes hoc potiſſimùm addiſcat, *ut mentiri ſacrilegium putet.*

Hoc legatur, quod ſcribit ad Celentiam: *Mentiri*, inquit, *atque jurare lingua tua prorsùs ignoret?* „Sic te teneat ſtudium verita-

„ veritatis, ut verbis tuis vis eadem in-
„ ſit, quæ ſacramentis, &c.

6. Eſt autem illud maximi omninò momenti atque obſervatione digniſſimum, ſcilicet, cùm SS. PP. defenderunt officioſa mendacia atque ſimulationes, quæ ex principio charitatis fiebant, iis animo nequaquàm fuiſſe contendere, ejusmodi mendacia ſimulationesque non eſſe peccata contrà veritatem: Id tantummodò voluerunt innuere, nempè eadem à graviori culpâ excuſari. Negant equidem, ejusmodi peccatis rationem ineſſe atrocitatis, quæ reperitur in immanibus Criminibus atque ſceleribus, ſed ea non excuſant ab omni culpâ; Uno verbo mendacia ſimulationesque à tanto volunt, non à toto excuſari, ut loqui amant Scolaſtici. Atque ſic intelligendus eſt S. Hilarius, cùm hæc verba habet; *Ut crimen mendacii in incommodo haberetur alieno.* In Pſalm. 14. Quæ quidem verba nequaquàm innuunt, mendacium eo ipſo vacare ab omni culpâ, quòd eſt officioſum atque utile; Sed in eo præſertim reponi ejus atrocitatem atque criminis immanis rationem, quòd ſit proximo damnoſum.

Et hæc ſufficiunt vindicandis ab omni erroris labe SS. Patribus, atque interpretandis illis, apud quos quidpiam occurrit, quod cum principiis S. Auguſtini non omninò concordat. Eſt ergò cum

eodem S. Doctore eâdem ratione concludendum, quâ concludit & ipſe S. Gregorius Papa, nempè, quodcumque mendacii genus eſſe ſummoperè fugiendum, ipſaque etiam, quæ defendendæ corporalis vitæ proximi adhiberentur, culpâ vacua non eſſe, animæque mentientis nocere, quia ſcriptum eſt, *Os, quod mentitur, occidit animam*; Et iterùm, *diſperdes omnes qui loquuntur mendacia*. Eſt etiam cum iiſdem SS. Doctoribus agnoſcendum, in poſterioribus ejusmodi circumſtantiis culpam, quæ admittitur, veniâ dignam prorsùs eſſe, & poſſe ipsâ caritate, quæ eam comitatur, facillimè cooperiri. *Hoc quoque mendacii genus*, inquit laudatus S. Gregorius, *perfecti viri ſummoperè fugiunt, ut nec vita cujuslibet per fallaciam defendatur, ne ſuæ animæ noceant, dùm præſtare vitam carrnii nituntur alienæ; Quanquàm hoc ipſum peccati genus facillimè credimus relaxari.*

S. Greg. Moral. in Job. lib. 18. cap. 3.

CAPUT XII.

De verbis æquivocis, Reſtrictionibus Mentalibus atque quibusdam aliis vitiis, quæ adverſantur Veritati.

DUas excogitaverunt Homines vias, quæ ſunt veritati perſtringendæ omninò aptiſſimæ, nimirùm æquivoca verba mentales-

mentaleſque reſtrictiones. Sibi ſcilicet perſuadent, ex ejusmodi ſubtilitatibus mendacia quin etiam manifeſtiſſima perjuria à peccato vindicari. Poſſunt autem Priſcillianiſtæ tanquàm primi Autores haberi, qui peſſimam iſtam corruptelam in præcepta moralia J. Chriſti invexerint: Eminebant inter eos doctrinâ præcellentiores aliqui, qui toti erant in regulis auſu temerario conſtituendis atque adinveniendis, quibus mendacium atque perjurium efficerent licita & omni culpâ quâcumque vacua; *Sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quandò non debeat pejerari.*

De iis verò pernicioſis inventionibus S. Auguſtinus verba habet, quæ totum produnt horrorem, quocum easdem execrabatur & debet quisque veri nominis Chriſtianus animo toto deteſtari. *Ubi eſtis*, inquit, *fontes lacrymarum? .... Ubi nos occultabimus ab irâ Veritatis, ſi non ſolùm negligimus cavere mendacium, ſed audemus inſuper docere perjuria?* S. Aug. contrà Mendac. num. 36. ibid.

Neque tamen ipſe exiſtimo, iſtam inconſiderantiſſimam Priſcillianiſtarum temeritatem, quam tantoperè conqueritur S. Auguſtinus, eò uſque progreſſam unquàm fuiſſe, ut Æquivocationum Mentaliumque Reſtrictionum Doctrinam tam longè latèque diſſeminarent, quàm noviſſimis iſtis temporibus eſt viſa alto ſu-

percilio incedere atque celebrari. Laxiorum Caſuiſtarum peſſima miſerrimaque lues perniciosam Cordis duplicis artem ad dignitatem uſque venerandæ Scientiæ evexit Præceptis ac Regulis ipſi vias aperuerunt, quibus poſſet abſque mendacio ſibi invicem unusquisque imponere. Hoc primum unus ex eis pro certiſſimo principio ſtatuit. „ Eſt hæc, inquit, „ prima Regula nempè, cùm ambiguam „ habent verba ſignificationem, & multiplex iisdem ſubeſt ſenſus, nullum mendacium occurrere, ſi eadem quis proferat in proprio ſuo ſenſu, prout vult „ & concipit, quanquàm in alium ſenſum qui prorsùs diversus ſit, ab audientibus, vel ab eo, apud quem adhibetur „ jusjurandum, accipiantur, atque vel „ etiam licèt qui loquitur, nullam habeat „ juſtam cauſam iisdem utendi verbis „ ambiguis.

Deficientibus autem verbis ambiguis atque æquivocis, quæ non occurrunt ſemper, permittunt iidem Caſuiſtæ, mentalem ſuccedere reſtrictionem. „ Poſſunt „ quoque, addit laudatus Autor, abſque „ mendacii periculo adhiberi in propriâ „ ſuâ ſignificatione verba, quæ nihil „ ambiguitatis habent, quibusque nullus „ verus ſenſus ſubjicitur neque ratione „ ſui, neque naturâ circonſtantiarum, ſed „ quæ ex additione quâdam interiùs

„ factâ

„ factâ determinantur ad aliquem verum „ ſenſum: Exempli causâ, ſi quis inter- „ roganti, aut quibuslibet aliis, vel ſpon- „ te, vel oblectationis gratiâ, vel prop- „ ter quamcumque aliam cauſam juret „ affirmetque, ſeſe rem aliquam non fe- „ ciſſe, ſubintelligendo nimirùm apud ſe „ aliquid ab eo diverſum, de quo ipſe „ interrogatur, aut alium diem quo non „ fecit rem, quæ inquiritur, aut quodli- „ bet aliud verum, quod interiùs addit „ ſuis verbis, abſque dubio, eſt, eum „ nequaquâm mentiri, neque eſſe perju- „ rum. Quidquid agit, eo nempè con- „ ducit, ut non proferat certam determi- „ minatam veritatem, quam audientes „ animo concipiunt, quamque ejusdem „ verba exprimunt, ſed veritatem aſſerat, „ quæ nihil ad rem facit.

Alia etiam ſubjiciunt iſtarum Reſtric- tionum exempla: „ Poterit Reus aliquis „ qui non interrogatur juxtà ſtrictas Juris „ formulas, reſpondere, à ſeſe non „ fuiſſe Petrum interfectum, ſubintelligen- „ do nempè quemdam alium ejusdem „ nominis, aut etiam ſic interiùs adden- „ do, non eum occidi, antequàm naſ- „ ceretur.

Et hoc ejusmodi Caſuiſtæ calliditatem dicunt *artemque utillimam,* quâ quod quis animo habet abſcondere, prorsùs latet.

Neque verò diffiteri quisquam poteſt,

utilliſmam omninò eſſe plurimis in caſibus ejuſmodi calliditatem: At numquid indè licitam & culpâ vacuam aſſeremus, quòd ſit maximæ utilitatis? Nùm iſtius generis artificium, quia multùm inſervit, minùs reprobatur Legibus ipſius Naturæ, & Humanæ Societatis & Religionis? Quidquid pro virili parte contendatur, ut ejuſmodi æquivocationes ac mentales Reſtrictiones ab omni culpâ eximantur, Vir animi ſui compos numquâm eò uſque adducetur, ut easdem non habeat tanquàm manifeſta ac veri nominis mendacia. Quid namque Mendacium eſt? *Mendacium eſt quippè*, inquit S. Auguſtinus, *falſa ſignificatio cum voluntate fallendi.* Et in alio loco eandem S. Doctor tradit mendacii definitionem; *Culpa verò mentientis*, ait, *eſt in enunciando animo ſuo fallendi cupiditas.* In eo nimirùm animo fallendi tota, juxtà S. Thomam, reponitur atque completur malitia mendacii. Jamverò nonnè eò potiſſimum collimant æquivoca verba atque Reſtrictiones mentales, ut in errorem inducant? Solo ergo nomine à mendacio differunt. Immò verò nec leviorum rationem habent mendaciorum, quippè quæ majorem animi requirant attentionem, & fallendi propoſitum includant, quod conſultiùs cogitatum atque meditatum eſt, neque ulli poteſt attribui aut improviſo, qui ſe dedit, caſui

S. Aug. l. cont. Mendacium n. 26.
Id. ibid. n. 3.

caſui loquendi, neque nimiæ feſtinationi.

Ipſi vel etiam Ethnici artificioſas ejuſmodi ſimulationes penitùs horruerunt, easdemque putaverunt tanquàm apertiſſimæ atque invidioſæ perverſitatis mendacia: Unum ſufficiet eâ de re laudaviſſe exemplum. Annibal, cùm quibusdam jure belli captis Militibus licentiam feciſſet eundi Romam, ut de pretio ſuæ redemptionis paciſcerentur, ab iisdem adhibito etiam jurejurando promitti ſibi voluit, futurum, ut reverterentur: Unus ex eis ſeſe ſuo jurejurando ſolutum indè contendit, quòd, poſtquàm è Caſtris Annibalis commeatu accepto exiviſſet, eadem iterùm repetiiſſet aliquid quæſiturus, cujus ſeſe ſimulabat fuiſſe oblitum. In odium Senatûs Romani hoc tam indignæ æquivocationis effugium venit, eumque qui illud idem animo habebat adhibere, Senatus ipſe juſſit catenis conſtringi, atque reduci ad Annibalem. Cicero qui plurimis laudibus extollit hoc factum Senatûs, obſervationem iſtam habet in ſuis Officiis, „ nempè calliditatem „ Civis Romani nihil aliud eſſe in ipsâ „ rei veritate, quàm meram inſaniam, „ cùm, nedùm quis poſſit fraude ſuum „ ſacramentum irritum facere, quin potiùs „ ex ipsâ fraude magis odioſum evadat „ ipſius perjurium: Vir ejusmodi ſuo ju-
„ rejurando

„ rejurando ex ſtrictis literæ apicibus ; „ non in rei veritate ſolutus erat ; Porrò non ex nativâ verborum ſignificatione, ſed ex ipſo animi intento modus agendi deducendus eſt.

Si egregiè adeò ſenſerint Ethnici Philoſophi, quibus ſolum naturale lumen affulgebat, mirum non debet eſſe, ſanctos ocurrere, qui, gratiâ novæ Legis inſpirante, ſenſus eosdem manifeſtaverunt.

Pater Maffeus in hiſtoria vitæ S. Ignatii, quam ſcripſit, inter alia, hæc de S. Patriarchâ refert : *Suſpenſa, vel ambigua, vel obſcura verba, perplexum de induſtriâ incertumque ſermonem, uti barbaras artes & ſubdola mendacii tegumenta, fideique ac ſocietatis humanæ perniciem ſemper eſt deteſtatus.*

Lib. 3. c. 10.

Unus eâ de re debet Fidelium omnium ſenſus atque conſenſus, maximè ex quo tempore Doctrina favens æquivocationibus atque mentalibus reſtrictionibus ab Innocentio Summo Pontifice, *toto*, ut loquitur doctiſſimus nec non celeberrimus Epiſcopus Meldenſis, *plaudente Ordine Epiſcopali*, condemnata eſt. Datum eſt Summi Pontificis Decretum 2. Martii 1679. Sic autem habet poſt condemnatas 65. Propoſitiones Morales, quarum 26. & 27. aſſerebant ac defendebant Doctrinam atque uſum æquivocorum verborum ac Reſtrictionum mentalium. „ Quicumque

DD. Boſſuet.

„ que .... propugnabit, aut propalabit
„ prædictas Propoſitiones, aut aliquam
„ ex eis, & de iisdem aget in Diſputa-
„ tionibus publicis, vel privatis, niſi for-
„ ſan impugnando, ipſo facto incurrat in
„ Excommunicationem, à quâ, excepto
„ mortis articulo non poterit abſolvi ....
„ niſi à ſummo Pontifice tunc temporis
„ extituro.

Eſt prorsùs, undè mirum videatur, quòd poſt ejusmodi condemnationem quæ omninò juſta eſt, quamque ſuam ipſe totus Ordo Epiſcopalis haberi voluit, doctrina verborum æquivocorum & mentalium reſtrictionum nacta ſit his noſtris temporibus Defenſores, qui etiam voluerint ejusdem uſum ab ipſo Cœlo repetere, & toti fuerint in perſuadendo, Viris SS. qui ſub Veteri ac Novo Teſtamento floruerunt, quin etiam Angelis, ipſique J. Chriſto probatum fuiſſe atque conſuetum.

Abſtinebimus à referendis ac diſcutiendis eo loci Sacræ Scripturæ textibus, ex quibus tentatum eſt argumenta efficere, ad demonſtrandum ejusmodi paradoxum. Poteſt recurri ad Epiſtolas Patris Alexandri & Domini *Petit-Didier*, atque ad Opus Patris Thomaſſin, in quibus iſta Materia adeò plenè ac fusè tractatur, ut quidquid ea in re deſiderari poteſt, ibidem reperiatur prorsùs exhauſtum. Id obſervavimus tantummodò, quosdam Patronos

tronos æquivocationum atque Reſtrictionum mentalium eò pervenire nunquàm potuiſſe, ut iisdem aliquid autoritatis afferrent atque ponderis, licèt eorumdem uſum maximè voluerint ſummis muniri cautionibus. Antuerpienſis Epiſcopus in Tractatu, quem compoſuit de abuſu qui poteſt ſubeſſe praxi æquivocationum & reſtrictionum mentalium, & poſt eum Autor Præfationis, quæ legitur ad frontem quinti Tomi Operum Patris Sirmundi, plures requirunt conditiones, ut uſus earumdem licitus ſit atque omni omninò culpâ vacuus: Et hanc quidem primo loco ponunt, nempè, quòd æquivocationem aut reſtrictionem quædam comitentur circumſtantiæ, quæ ſumantur vel ex ipsâ naturâ rerum, de quibus agitur, vel ex ipsâ qualitate perſonarum, ad quas ſermo dirigitur; Aut æquivocationi vel reſtrictioni quædam exteriora ſigna addantur, quibus illud ſuppleatur quod ſupprimitur, & ſenſus quis ſit intelligendus aperiatur.

Joann. Malderus de Reſtrictionum Mentalium abuſu.

Equidem ſi quæ deſiderantur eo loci, externa ſigna ejus generis forent, quæ poſſent quod ſupprimitur, in ipsâ rei veritate ſupplere; Aut ſi requiſitæ circumſtantiæ id valerent, ut propriâ ſuâ naturâ inditâque ſibi evidentiâ intimum meum ſenſum aliis manifeſtarent, profectò locus non eſſet iſtius placiti tantâ

cum

cum aſperitate verborum excipiendi; Ad id enim conducunt externi nutus ſignaque exteriora, ut vocum loco habeantur, quibus ab aliis poſſim audiri, & iisdem mens mea ſignificari. Minimè refert, quâ ratione meos intimos ſenſus exteriùs prodam; Modò mentem meam aperiam, neque me teneat aliis imponendi prurigo, non eſt, undè mendacii poſſim ullatenùs argui.

At multùm abeſt, ut externa ſigna circumſtantiæque, quæ requiruntur à laudatis Autoribus, ſenſibus interioribus exprimendis ſufficiant, meque à periculo aliis imponendi efficiant remotiſſimum: Quod demonſtratur exemplo reſtrictionum, quas ex circumſtantiis cujuscumque culpæ fieri immunes contenditur. „ Aliquis perpetrare cædem volens, à „ me gladium petit: Ipſi repono, *non ha-* „ *beo gladium*, & hæc ſubintelligendo „ verba, *tibi dandum*; In ejusmodi caſu nequaquàm mentior, inquiunt prædicti Autores, quoniam quod in animo retinetur circumſtantiæ ſufficienter declarant.

Quidquid autem concedi poteſt Autoribus ejusmodi deciſionis, quidquid etiam ipſi poſſunt ad ſummum contendere, ad id tantummodò reducitur, nimirùm, à me verum dictum fuiſſe, cùm ſum demiſsâ voce locutus, at manifeſtum eſſe, me

fuiſſe

fuiſſe mentitum, quandò facta eſt contentio vocis. Quantùmvis contendatur, ex circumſtantiâ furioſi hominis, quem alloquor, illud quod tacitum premo, declarari: Ejusmodi circumſtantia nihil meam mutat reſponſionem, meque ſolummodò monet, ut petitum gladium planè denegem; At nequaquàm ſinit, me conceptis verbis ſic reſpondere, *non habeo gladium*. Abſque dubio eſt, mihi animo fuiſſe eum, quem alloquor, fallere, quanquàm fraus iſta tota in ipſius ac proximi ſalutem vertat, & memetipſum voluiſſe verbis iſtis, *non habeo gladium*, ei ſuadere, apud me nullum in ipsâ rei veritate reperiri; Quin etiam grave mihi atque moleſtum omninò fuiſſet, eum ſibi animo induxiſſe, gladium unum à me haberi. Ergò mea reſponſio ex aliquâ ſui parte ipſi veritati repugnat, neque nonniſi propter caritatem, ex cujus principio eadem procedit, poteſt excuſationi locus ſubeſſe, quâ culpa mea levior habeatur.

Alia conditio, quæ exigitur, ut extrà culpam uſus conſtituatur æquivocorum atque reſtrictionum mentalium, eſt, quod non ſit nimis frequens. Jamverò, quæ rationes rationibus cumulantur adversùs iſtorum æquivocorum uſum nimis frequentem, probant eandem eſſe omninò atque ex toto reſecandum. Ex illo frequen-

quentiori uſu, inquiunt, parumper læduntur ſimplicitas illa Chriſtiana candorque ille, quæ nusquàm debent ab ipſis noſtris ſermonibus abeſſe: Indè plurima naſci poſſunt incommoda etiam graviſſima; ſit enim, ut ex conſuetudine ludendi æquivocis vir aliquis nullius autoritatis ac fidei habeatur, ipſamque totam confidentiam amittat, cui apud alios ſervandæ ſtudere plurimùm debet. Tandem nihil eſt, teſte S. Chriſoſtomo, ex quo magis odia atque inimicitiæ concitentur, quàm, cùm ſeſe quis advertit deluſum fuiſſe atque errore circumventum. Atque hæc ſunt, quæ plurimùm urgentur ab illis Autoribus, quos appellavimus. Et illi quidem ſeſe ſuo proprio gladio jugulant. Si namque ex uſu æquivocorum atque reſtrictionum mentalium frequentiori iſtæc, quæ dicta ſunt, omnia mala conſequantur, id profectò contingit ex eo potiſſimè, quòd unumquodque ex iſtis æquivocis aliquatenùs atque ex aliquâ ſui parte ad ejusmodi peſſimas conſecutiones deducat. Quidquid concipitur diſcriminis inter culpam hominis alicujus qui frequenter utitur æquivocis atque reſtrictionibus mentalibus, & illius culpam qui iisdem uti minùs aſſuetus eſt, totum in graviore vel in leviore reſidet: Prior graviùs peccat contra Chriſtianam ſimplicitatem, magis excidit illâ fide, quâ

Idem. Præfat. tom. 5. Sirm.

Homil. 14. ſup. Epiſt. ad Epheſ.

apud Homines valebat, ſeſe eorum, quibus imponit, odiis inimicitiisque magis exponit. Alter minùs equidem peccat, ſed tandem peccat; Quod ſatis eſt, ut ipſius actus jure poſſit reprehendi. *Horum duorum*, inquit S. Auguſtinus, *non ideò eſt quiſquam bonus, quia pejor eſt unus.*

S. Aug. l. cont. Mend. n. 19.

Tertio loco hæc regula figitur, ut omnis culpa removeatur ab æquivocis atque à reſtrictionibus mentalibus, nempè iis utendum non eſſe, niſi quandò neceſſitas urget ad interrogata reſpondendi, quæ ſunt maximi momenti, aut non niſi eo animo ut malum aliquod devitetur, vel aliquid ingentis boni promoveatur. Sed hæc nullam afferunt juſtam cauſam, cur peccatum admittatur, neque peccatum ipſum ponunt extrà rationem peccati. Nuſquàm licet peccatum etiam leviſſimum committere, ut ea etiam reſcindantur, quæ graviora ſunt; multò minùs, ut removeatur incommodum aliquod temporale. Valet equidem intentio bona bonum illud efficere, quod eſt de ſe indifferens, non id, quod naturâ ſuâ malum eſt. *Nùm ſi propterea juſta ſunt* (*mendacia*) *quia hoc animo fiunt, ut occulti hæretici detegantur, poterunt iſto modo, ſi eodem animo fiant, caſta eſſe adulteria ...... Ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nulla quaſi bona fide, nullâ velut bonâ intentione facienda ſunt.*

S. Aug. lib. cont. Mend. n. 17. & 18.

Quæ

Quæ modò diximus de æquivocis & de mentalibus reſtrictionibus, eâdem ratione ſunt intelligenda de ſimulatione, quâ nimirùm aliquid innuitur, quod oppoſitum eſt veritati, animo fallendi aliquem. Poteſt fieri mendacium, ut obſervat S. Auguſtinus & poſt eum S. Thomas, non tantùm adhibendo verba, ſed & certâ quâdam ratione componendo vultum, geſtum, cæteraque exteriora corporis indicia. Interiori menti debent exteriora ſigna reſpondere. Quo quidem ex principio nequaquàm inferendum, incumbere neceſſitatem eorum omnium detegendorum atque manifeſtandorum, quæ in intimis pectoribus latent, ſed tantummodò corporis geſtum, cæteroſque nutus exteriores nuſquàm de induſtriâ accommodandos eſſe ad id, animo non geritur, ut aliis fucus fiat: Indè tanquàm totidem mendacia habenda ſunt, quot ſæpè ſæpiùs ſignificantur indicia amicitiæ, exiſtimationis atque confidentiæ iis, ergà quos nullâ propendetur inclinatione voluntatis. Virum honeſtum oportet ubique & in omnibus eſſe verum; Chriſtiano autem illud Job eſt ſemper ſub oculos habendum, *Simulatores & callidi provocant iram Dei.*

De quibusdam alii vitiis, quæ opponuntur veritati. Simulatio. 2. 2. qu. 111. art. 1.

Job. 36. 13.

Plurima leguntur in Eccleſiaſticis Monumentis ſimulationum exempla, quæ magnis tamen cum laudibus SS. PP. celebrant.

lebrant. Euſebius Martyr & Epiſcopus Venellenſis finxit, ſeſe velle Doctrinæ Arianorum ſubſcribere, ut nimirùm expungeretur ſubſcriptum nomen ſui Diſcipuli Dionyſii Epiſcopis Mediolanenſis, quem iſti Hæretici captaverant: Eam verò ſimulationem plurimùm laudat S. Ambroſius. Sed neque ejusmodi exempla, neque præconia, quibus extolluntur, nihil efficiunt quidquam adversùs principia, quæ paſſim reperiuntur tùm in Scripturâ ſacrâ, tùm apud ipſum S. Auguſtinum: Hoc ſcilicet tantummodò evincunt, nequidem Viros Sanctiſſimos fuiſſe culparum leviorum immunes, & propter abundantem caritatem, quâ potiſſimùm impellebantur, iſtas culpas ita deletas fuiſſe atque datas oblivioni, ut earumdem etiam principium & bonæ conſecutiones laudarentur.

Hypocriſis. Eſt etiam Hypocriſis annumeranda mendaciis, quæ fiunt exterioribus eorum demonſtrationibus, quæ in animo nequaquàm geruntur. Vitium reperitur nullum, in quod Salvator ſeſe adverſarium acerbiorem intenderit, quàm in Hypocriſim: Hujus vitii labe toti conſpergebantur Scribæ atque Phariſæi, in ipſumque potiſſimùm incidunt frequentiora maledicta atque Anathemata, quæ J. Chriſtus in eosdem tot vicibus repetitis ingerit. Juxtà S. Thomam duo ve-

S. Thom.

niunt

niunt in Hypocriſis notanda; 1. *Defectus Sanctitatis*; 2. *Simulatio ipſius*. Si Hypocrita nihil curet ſanctitatem neque ullâ eum teneat probitatis vitæque Chriſtianæ cupido, atque in illud tantùm intendat, quòd ſanctùs aliis videatur, indè arguitur, ipſius hypocriſi ſubeſſe rationem culpæ lethalis. Si verò ſanctitatem non habens despicatui, ſpeciem ejus ſolam ſimulaverit, tunc ipſius hypocriſis aliquandò non eſt niſi venialis culpa: Dico *aliquandò,* ut nihil à Doctrinâ laudati S. Thomæ recedere videar. Ut autem de naturâ & qualitate peccati, quo ſeſe conſtringit hypocrita, feratur judicium, quò potiſſimùm ejus cogitatio collimet attendendum eſt: Si quid intenderit, quod adverſetur charitati, quam vel Deo, vel ſuo proximo debet, ut verbi gratiâ, ſi ſuâ hypocriſi contenderit introducere Doctrinam falſam ſivè quantùm ad Fidem, ſivè quantùm ad bonos Mores, aut conſequi Dignitatem aliquam, aut aliquod Eccleſiaſticum Beneficium, quo aliundè ſit indignus, nullum omninò dubium eſt, quin peccatum ejus ſit mortale. Poterit eſſe tantummodò veniale, addit S. Thomas, ſi nihil ipſius animo, ſubſit, quod neque amori Dei neque caritati proximi opponatur. At quodcumque ſit ejus peccatum, ſemper importât ſimulationem ac fraudem, quæ veritatem offendunt.

in 4. diſt. 16. qu. 4. art. 1. quæſtiunc. 3. in Corp. Et 2. 2. q. exi. a. 4. in Corp.

Eſt autem operæ pretium eo loci obſervare, ſub appellatione atque condemnatione hypocritarum eos omnes nequaquàm intelligendos eſſe, qui vitium quoddam, in quod naturâ propendent, ab oculis Hominum ſubripiunt, aut aliquam occultant culpam, in quam inciderunt modò, dùm ſtudent obvolvendæ ejuſmodi culpæ, nihil agant nec loquantur, quod veritati diſſentiat, nullumque finem niſi rectum ſibi proponant. Vir aliquis Eccleſiaſticus, aut Religioſus, Superior, vel Confeſſarius, ſic erit exempli causâ à Naturâ factus, ut iræ indulgeat, & ſeſe tamen ita componit exteriùs, ut animum in omnes manſuetum habere videatur; Ipſe crimen aliquod admiſerit, in quod ſeſe præbet verbis acerbiſſimis declamitantem, quodque in aliis celer eſt arguere. Numquid ideò hypocriſis crimen ei inferetur? Si crimen eo animo occultaret, ut oſtentaret virtutem oppoſitam, quâ caret, quamque conſequi minimè laborat, jàm in eum hypocriſis accuſatio meritò incideret; Sed hypocrita indè non poteſt dici, aut haberi, quòd eâ ratione loquatur atque agat, quæ non eſt accommodata ad præſentem animi atque voluntatis affectum, præſertim cùm animo ducitur adimplendi Leges Eccleſiæ, quæ volunt, eum ita agere & loqui. Ei neceſſitas incumbit ſervandi decorum, ne ſuis

ſuis Fratribus exemplo malo ſit atque ut eosdem ad actus illius virtutis compellat, quâ ipſe eſt equidem vacuus, ſed quam debet pro parte virili commendare. Obligatur præterea ad ſeſe ſpecie virtutis externâ involvendum, quò magis Homines provocet ad reverentiam & obſequium, quæ debentur ſanctitati ſtatûs, quem profitetur, atque eos in iisdem & reverentiâ & obſequio contineat. Habet equidem ejusmodi, undè coram Deo plurimo pudore ſuffundatur, quòd is in ipsâ rei veritate non ſit, quem Homines exiſtimant: At quoniam animus abeſt ab omni fraude, neque aliud intendit, quàm eam officii ſui partem adimplere, quod pertinet ad exteriorem ſuam compoſitionem, non poteſt haberi ut mendax neque ut hypocrita, nec locus usquàm eſt novi ſuperaddendi peccati iis, quibus in intimis pectoribus fœdatur.

Calumnia & Perjurium.

Omnium Contumeliarum, quibus poteſt ab Hominibus veritas vexari, ea eſt abſque comparatione atrociſſima atque odioſiſſima, quæ eidem fit calumniâ vel perjurio. De poſtremâ mendacii ſpecie, quæ conjunctam habet horrendam ſanctiſſimi Nominis Dei violationem, jamjam locus erit mentionis faciendæ. Cap. 13

Quotquot ſunt Humanæ Societatis fundamenta, ea omnia Calumnia fundituùs evertit. Occurrunt autem diverſæ

rationes, quibus falſis criminationibus alii infamantur; 1. Iis imputando culpam, quam non commiſerunt, quamque nuſquàm ab iiſdem admiſſam fuiſſe certò ſcitur. Quâ quidem calumniatione nihil eſſe poteſt aut concipi, quod ſit & horrendum magis & non tantùm Chriſtiano, ſed & cuilibet honeſto viro indecentius. 2. Calumniæ crimen admittitur, depravando aliorum facta, iiſque malum animum ſupponendo, quo prorsùs carent. Eſt etiam alia calumniæ ſpecies amplificatio defectum proximi: Culpam in eum reverà cadere pono, ſed levem; Eadem tanquàm Crimen atrox exaggeratur, ne quidem veniâ dignam eſſe conceditur, indèque prætextus ſumitur infamandi atque perdendi eum, cui ejusmodi culpa levis excidit, & qui non amatur. Obtinet inter Homines ejus generis Calumniatio, eademque ſæpè ſæpiùs apud eos recurrit.

Eſt ſua Calumniatoribus pœna condemnatioque Divinis atque Humanis Legibus conſtituta, prout eam merentur. S. Paulus conceptiſſimis verbis declarat, eos à Regno Dei fore excludendos: Eosdem à ſacrâ Communione ad mortem usque removeri Concilium Arelatenſe I. præſcribit; Quod Concilii Decretum confirmatur Canone 24. II. Concilii in eâdem Urbe celebrati anno

Can. 14.

452.

Præcipit Epiſcopo Concilium Carthagi- Canon.
nenſe IV. ut Calumniatores à Fidelium 55.
Cætu removeat, & prohibet, ne poſt ipſorum pœnitentiam in Clerum recipiantur.

Vult Concilium Matiſconenſe I. de Canon.
ſuo gradu dejici Clericum qui crimen ad- 18.
miſerit calummationis, Laïcum verò tamdiù à Communione repelli, donec per pœnitentiam publicam condignè ſatisfecerit.

Jubet Concilium Duacenſe II. actum Can. 2.
anno 874. Calumniatores, utpotè Homines infames, mitti in Exilium.

Eo loci non morabimur in impugnandis Autorum quorumdam monſtroſis omninò deciſionibus, quos aſſerere non induit, *in eo tantùm occurrere culpam venialem, ſi quis calumnietur, & falſis impetat criminationibus, ut nullam faciat fidem illorum, à quibus malè ſibi dictatur.* Quæ Doctrina eſt prorsùs horrenda atque damnabilis; Ipsâ fronte adverſatur Evan- Matth. 5.
gelio, quòd è contrario præcipit, ut iis 45.
ipſis benedicamus, qui nobis maledicunt, & pro iis oremus, qui nos perſequuntur atque calumniantur. Quâ ratione concipi poteſt, iſtius præcepti violationi ſubeſſe culpam tantummodò venialem, poſtquàm ipſe J. C. ejusdem obſervationi voluit alligari ſpem adoptionis noſtræ, notam, quâ Chriſtianus à Pagano diſtingueretur,

℣. 45. & ipſam noſtram qualitatem Filiorum Dei, cùm nempè ſic dixit: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in Cœlis eſt*; Et paulò-poſt; *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonnè & Ethnici hoc faciunt?* Hinc eſt, quòd Apoſtolus S. Petrus conceptiſſimis ver-
1. Ep. 3. bis habeat: *Non reddentes malum pro ma-*
℣. 9. *lo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis; ut benedictionem hæreditate poſſideatis.*

Superfluum eſt plura congerere adversùs ejusmodi Doctrinam, quæ verbis ſcripturarum adeò expreſſis reprobatur. Ipſa damnata eſt unanimi totius Eccleſiæ conſenſu, ab Univerſitate Lovanienſi anno 1657. ita requirentibus Episcopis Flandriæ, à Pariſienſi Facultate Theologiæ 16. Julii anni ſubſequentis, à pleràque parte Epiſcoporum Galliæ paulò poſt idem tempus, ac denique 2. Martii 1679. à Summo Pontifice Innocentio XI. Iſta Doctrina condemnatur in Propoſitione, quæ numeratur quadrageſima tertia inter ſexaginta quinque Propoſitiones à laudato Innocentio reprobatas.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Jurejurando atque de Perjurio.

EST hoc omnibus Legibus conſtitutum, ut in Judicio ſacramenta dicantur. Quòd falſum juretur crimen eſt omnium maximum, quæ Præceptis Divinis interdicantur, quippè quæ ſic habeant: *Non jurabis in vanum.* Illæ voces *in vanum* hoc nimirùm ſonant; *Falſum aut inutiles non dices juramentum.* Cui præcepto J. C. aliquid addidiſſe videtur iſtis verbis: *Iterùm audiſtis, quia dictum eſt Antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omninò neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt, neque per Terram, quia ſcabellum pedum eſt ejus, neque per Jeroſolymam, quia Civitas eſt magni Regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum: Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non; Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Quæ poſtrema verba pervertentes Anabaptiſtæ atque Tremuli, Gallicè *Trembleurs*, contendunt interdictum à J. C. quodcumque Sacramentum, neque ullum dicere volunt. Quod tamen nuſquàm intendit Dominus Noſter, cui animo tantùm fuit inutilia

Matth. Cap. 5. ℣. 35.

tilia & quæ perperàm fiunt, ſacramenta prohibere: Eſt namque Juramentum Actus Religionis, qui fit ſub atteſtatione Divini Nominis, & omninò conducit ad ipſam Religionem publicamque tranquillitatem conſervandam. Ipſimet Apoſtoli, atque inter alios S. Paulus, jusjurandum in opportunis quibusdam occaſionibus adhibuerunt, ſivè cùm apud Magiſtratus appellati ſunt, ſivè cùm ſeſe neceſſitas dedit alicujus veritatis jurejurando confirmandæ. Sic S. Paulus non dubitavit atteſtari, ipſumque etiam Deum teſtem appellare, quòd vera forent, quæ annunciaverat; Quod quidem jusjurandum omninò neceſſarium erat, ut affirmaretur veritas, de quâ nullum dubium ſupereſſe debebat. Aliundè verò tota Eccleſiæ praxis & omnes Leges Civiles ipſum jurisjurandi uſum comprobant atque confirmant adversùs Anabaptiſtas atque Tremulos: Adeòque abſtinemus à pluribus de propoſitâ quæſtione ſubjiciendis, quæ agitatur inter Proteſtantes, ipſi, quantùm ad nos ſpectat, inſiſtentes expreſſiſſimæ Regulæ, quâ conſtat, non eſſe prohibitum jurare, ſed tantummodò commendatur, ne jusjurandum fiat niſi poſitâ certâ ſcientiâ eorum, de quibus juratur, nec niſi caſu neceſſitatis occurrente, neque niſi quandò exigitur. Quas tres conditiones Propheta Jere-

Jeremias potiſſimùm requirit, ut ex æquitate juramenta adhibeantur: Vult nimirùm, ea fieri *in veritate*, *in juſtitiâ*, *& in judicio*. Oportet, juramentum quod adhibetur, eſſe verum, hoc eſt, veritatem aliquam confirmans: Quod niſi ejuſmodi ſit, rationem habet perjurii atque jurisjurandi omninò condemnandi. *In juſtitiâ*, quibus vocibus commendatur, ut regulæ ſerventur juſtitiæ, neque nonniſi ex juſtâ causâ amici, aut alius quiſquam indicentur. *In judicio*, ne ſcilicet dicatur ſacramentum niſi ita requirente neceſſitatis caſu, nec niſi in Judicio exigatur. Quæ tres conditiones totidem conſtituunt Regulas infallibiles, quibus obſervatis, juramenta ab omni iniquitatis labe removentur. Quodlibet aliud juramentum quod fit, ipſi repugnat Legi, eſtque crimen prorsùs damnabile. Jerem. 4. 2.

Poteſt perjurium induplici ſenſu accipi, aut pro rei cujuſdam affirmatione, quam noſcitur eſſe falſam, aut pro violatione fidei, quæ adhibito etiam jurejurando facta eſt. In priori caſu nulla prorſùs difficultas occurrit. Affirmare rem falſam & ipſum Deum appellare teſtem ipſius veritatis, crimen eſt quod poſſit admittit, horrendiſſimum. In poſteriori caſu diſtinguendum eſt, poſſunt etenim tùm promiſſa, tum juramenta per vim extorqueri, & tunc certiſſimum eſt, obliga-

obligatoria non eſſe. Graſſator aliquis tibi necem intentans fauces intercipiens, exigit, à te fieri juſjurandum, futurum ſcilicet, ut ei quinquaginta dupliones Hiſpanicos in poſterum diem afferas: Perperàm in eo agis, quòd te conſtringas ejuſmodi juramento, ac mori ſatius eſſet, quàm illud jurare, quod adimplere animo nullatenùs eſt; At tandem quoniam quæſtio vertitur de vinculo juriſjurandi obligatorio, dico, juramentum in prædicto caſu extortum, nequaquàm obligare in conſcientià. Alia verò conditio eſt aliorum juramentorum, quæ fiunt licèt invito animo & in circumſtantiis, in quibus vis eadem non intervenit: Promittis certo cuidam viro, cui te pudet aliquid denegare, quòd donare tibi ſit fortaſſè munificus, futurum ut illi pecuniam aliquam concedas. Juramento te exigit aſtringi ut promiſſorum tuorum fiduciam habeat indubitatiorem. Repugnat tùm bonis moribus, tùm integræ fidei, te deinceps deeſſe promiſſis juramento confirmatis. Eſt & aliud perjurii genus, cùm ſcilicet Univerſitatibus atque Facultatibus ſacramentum dictum eſt, & poſteà contrà earumdem Decreta contumaciùs inſurgitur: Nunquàm tibi licet ejuſmodi Decretis apertè contradicere; Si eò uſque progreſſus fueris, non poteſt non incurrere in notam perjuri tùm

coràm

coràm Deo, tùm coràm; Hominibus, niſi forſitàn agatur de veritatibus, quæ eſſentialiter ſpectent vel ad Religionem, vel ad Imperium. Quodcumque etenim juramentum in genere præſtitum, ſemper præſupponit, animo nequaquàm fuiſſe ſibi ullam inducere obligationem neque contrà Religionem, neque contrà Imperium, neque vel etiam contrà bonum alienum, juxtà ſequentem Regulam Juris: *Non eſt obligatorium contrà bonos mores præſtitum juramentum.* Reg. 18. de Reg. Juris in 6.

Hæc omnium cæterarum loco ſit Regula, quòd nonniſi caſu neceſſitatis urgente juretur. Ipſis autem Præpoſitis atque Communitatibus adhibenda maxima moderatio eſt in exigendis ſacramentis, quæ dicuntur ut plurimùm abſque ullâ animi attentione, atque ſolummodò ut recepto uſui & conſuetudini quæ obtinet, fiat ſatis. Indè contingit, à multis prorſùs juramenta inconſideratè præſtari, & obligationem imprudenter ſuſcipi illius faciendi, quod officio adverſatur. *Melius quippè*, inquit S. Auguſtinus, *nec verum juratur, quàm jurandi conſuetudine & in perjurium ſæpè caditur, & ſemper perjurio propinquatur.* S. Aug. Ep. 157. n. 40.

CAPUT XIV.

De veritatibus tacendis, quarum occaſione agitur de obtrectatione, de ſecreto atque de circumſpectione.

AMor veritatis, quo Chriſtianus ac vir Honeſtus potiſſimùm deſignantur, nequaquàm evertit jura Caritatis, Juſtitiæ atque Prudentiæ. Novit qui ſapiens eſt, intrà fines conſiſtere, qui cæteris iſtis virtutibus ſibi præſcribuntur. Qui quidem conſtituti fines exceduntur, perperàm detegendo veritates, quæ ſunt ſilentiò premendæ; Neque enim expedit, illud manifeſtari quodcumque verum eſt. Veritate evulgare, quæ vel proximo contumelioſæ ſunt vel ipſius famam injuſtè lædunt, obtrectatio eſt. Veritates fidei noſtræ commiſſas, abſque ullâ juſtâ causâ prodere, violatio eſt Legum quæ pertinent ad ſecretum. Tandem veritates annunciare, quod de iis etiam intellectum volo, quæ Religionem contingunt, nullâ habitâ ratione circumſtantiarum temporis, loci atque Perſonarum, peccatum ſæpè ſæpiùs eſt contrà circumſpectionem & prudentiam. Quæ quidem omnia fuſiori indigent explicatione, quæ nullatenùs omittenda eſt præſertim in Tractatu, in quo potiſſimum ſtudemus conſulere honori

nori ipſius veritatis, cui plurimum importari odii poteſt, ſi ullâ adhibitâ cautione proferatur.

Hoc intercedit diſcrimen obtrectationem inter & calumniam, quod prior veritati non opponatur, poſterior autem eandem lædat omninò contumelioſiſſimè. Aliquid mali dicere de proximo nullâ neceſſitate urgente & cum animo eundem infamandi, hoc ipſum eſt, quod appellatur detrahere: Si malum quod dicitur, certum fuerit atque verum, non peccatur contrà veritatem, ſed contrà caritatem. Falſum eſt, non poſſe de quoquam omninò dici malum; Sed neque verum eſt, poſſe dici de eo quodcumque malum noſcitur. Eâ de re quædam obſervandæ conſtituuntur Regulæ. De Obtrectatione.

Duo ergò, ait ſe S. Baſilius, *exiſtimo eſſe tempora, in quibus liceat aliquid mali de aliquo dicere: Videlicèt, quandò neceſſe habet aliquis conſultare unà cum aliis, qui qui in hoc idonei judicati ſint, quo pacto corrigendus ſit, qui peccatum commiſit; Et item, quandò neceſſitas poſcit, ut periculo conſulatur aliquorum.* S. Baſil. in Reg. brev. reſp. ad Interrog. 25.

Celeberrimus Gerſon qui totus fuit in diſcutiendâ ex profeſſò ſubjectâ materiâ, de eâdem loquitur cum eâ verborum præciſione, quæ quidquid ipſi de eâ poſſemus habere, prorsùs complectitur: *Inquirendum eſt igitur*, inquit, *ad quem finem* Gerſon tom. 2. pag. 3. qu. 1. reſp. ad quatuor.

nem malum dicitur de abſentibus, & occurrunt ſex fines generales, quorum gratiâ dici malum poteſt. „ 1. Malum quandòque de „ Abſentibus dicitur ad profectum documentumque præſentium, ut ſcilicet iſti „ ab eodem committendo malo maximè „ præcaveant. 2. Ut conſulatur eorum „ ſecuritati, ad quos ſermo dirigitur, ne „ ſocietatem ineundo cùm iis, quos habent „ ut viros perſpectæ integritatis, ex ignorantiâ ſuâ fallantur. 3. De abſentibus licet etiam aliquid mali dicere, ut „ nimirùm quod de ſe dictum fuit, poſtmodùm accipientes, indè ſumant locum ſeſe ad meliorem frugem recipiendi. 4. Malum quoque ex quâdam miſericordiâ atque amico animo aliquandò narratur, exempli causâ, cum ille „ qui refert malam aliquam actionem, „ id potiſſimùm intendit, ut tùm ſeſe, „ tùm alios incitet ad fervidiùs orandum „ pro eo qui culpam admiſit. 5. Ejusmodi ſermones non raró adhibentur „ ex levitate animi & ſecretâ quâdam „ garriendi prurigine. 6. Plerùmque verò ex odio atque invidiâ, ut proximus „ indè malè audiatur, aut quoniam animus ab eo prorsùs alienus habetur.

Ex iſtis omnibus, quæ poſſunt in causâ eſſe, cur abſentibus detrahatur, duo fines ultimi mali ſunt & illiciti: *Primis autem quatuor modis*, pergit Gerſon, *poteſt*

Ibid.

teſt eſſe non ſolùm licitum, immò meritorium referre mala abſentium. Non eſt tamen niſi cum aliquâ cautione modus agendi omninò conformandus ad prædicta quatuor principia: Quibus autem cautionibus maximè opus ſit idem Autor ibidem indicat. „ Cavendum, inquit, ne, „ cùm de abſentibus malum refertur, animus alius adſit præter eum qui in quatuor articulis ſuperioribus comprobatus „ eſt: Ne pravi quidam animi malè animati motus in ſermones noſtros occultè irrepant: Ut perſpectum atque „ prorsùs indubitatum ſit, nihil in eo „ quod narratur, occurrere falſitatis: „ Ut malum nec augeatur, nec verbis „ exaggeretur: Ut nihil ad actum proximi perverſæ malignæque interpretationis accedat. Cavendum denique, „ ne quod dicitur, plus abſentibus fortaſsè noceat, famæque eorum ſit damnoſius, quàm poſſit audientibus prodeſſe, atque in eorum utilitatem ac „ bonum exemplum vertere.

Quæ quidem omnia Gerſonis principia principiis S. Thomæ planè conſentiunt. Cæterùm, ut de obtrectatione juſtus horror incutiatur, animo debet illud Apoſtoli ſemper eſſe præſens, *Detractores Deo odibiles*: Et illud Sapientis, *Abominatio Hominum Detractor.... Et cum Detractori-*

S. Thom. 2.2.q.73. art. 2. in Corp.
Rom. 1. 30.
Proverb. 34.9. 21. 22.

tractoribus non commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum.

Neque verò minùs, quam Obtrectatores, condemnandi veniunt illi qui quod ſuæ taciturnitati concreditum eſt, enuntiant. *Qui ambulat fraudulenter*, inquit ſapiens, *revelat arcana: Qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum.* Sic etiam eâ de rè habet Eccleſiaſticus: *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum ſuum.* Et paulò poſt: *Quòd ſi denudaveris abſconſa illius, non perſequeris poſt eum; Sicut enim Homo qui perdit amicum ſuum, ſic & qui perdit amicitiam proximi ſui.* Et iterùm: *Maledicti eſt concordatio, denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infœlicis.*

Proverb. 11. 13. Eccleſ. 27. 17. Ibid. ℣. 19. Ibid. ℣. 23. & 24.

Ex quibus omnibus Sapientis verbis validè prorsùs ac manifeſtè evincitur, nihil in amicitiâ debere ipſo ſecreto ſanctius eſſe atque religioſius; Eo ipſo amicitiam omninò dimitti, quò ſecretum invidiosâ proditione detegitur, atque proditioni ejuſmodi ſubeſſe crimen quàm atrociſſimum, quippè Scriptura eandem appellet infœlicis animæ deſperationem. *Denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infœlicis.*

Eſt fatendum, generatim loquendo; obligationem fidei ſervandæ eſſe de jure naturali, adeòque ne quidem licere

ſub prætextu obedientiæ debitæ ſuperiori, quæ ſecreto commiſſa ſunt, prodere. Ea eſt ipſiſſima Doctrina tùm S. Thomæ, tùm cæterorum quotquot ſunt ſanioris notæ Theologorum: *Nullatenùs*, inquit S. Thomas, *tenetur ea* (*ſecreto commiſſa*) *prodere, etiam ex præcepto ſuperioris, quia ſervare fidem eſt de jure naturali.* Quod principium nullam admittit exceptionem quantùm ad ea, quæ ſub ſigillo Sacramentalis Confeſſionis concredita ſunt: At quod pertinet ad cætera, quæ extrà Confeſſionem ſub ſecreti fide deponuntur, ſunt à generali Lege illi caſus excipiendi, in quibus ageretur de Commodo Publico, de Religione, vel Imperio, quin etiam de graviori prorsùs Privatorum utilitate tùm ſpirituali, tùm temporali: Quibus in caſibus qui ſeſe ſervandi ſecreti vinculo ligat, datæ fidei ſatisfacere non tenetur, propterea quòd nec potuerit, nec debuerit in ſe ſuſcipere ejusmodi obligationem, niſi ſalvo aliorum jure. Debent in iſtis caſibus tùm juſtitia, tùm Caritas ipſis de ſecreto Legibus atque promiſſis eſſe potiores; Neque enim ejus generis Leges, non ſecùs ac quæ pro juramento obtinent, conſtitutæ fuerunt, ut iniquitatis forent quoddam quaſi *vinculum atque ſigillum*, ut loquitur S. Auguſtinus. *Impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur.*

S. Thom. 2.2 q.70. a.1.ad 2.

S. Aug. in Can. Inter 22. 22. q. 4.

Iſidor. in Can. In Malis. 5. 22. q. 4.

Atque ita intelligendus S. Ambroſius; cùm ait, *Non ſemper promiſſa omnia ſolvenda ſunt.*

S. Ambroſ. lib. 3. de Offic. cap. 12. S. Hyeron. in Chron. ad ann. 375.

Ut autem ad generalem de Secreto Legem revertamur, poſſent infinita propemodùm ex Hiſtoriâ laudari exempla, quæ probarent quantâ cum Religione eadem ſemper fuerit obſervata. S. Hieronymus plurimis laudibus extollit ſacerdotem quemdam, cui ipſam perpeti mortem præſtitit, quam domi ſuæ latentem virum nomine Octovianum indicare. Notatu verò digniſſimum eſt Firmi Tagaſtenſis Epiſcopi exemplum, quod refertur à S. Auguſtino. Quærentibus ab eo Miniſtris atque Actoribus Imperatoris, ubinàm eſſet vir quidam, quem apud ſe retinebat abſconditum, generosè ac conſtanti animo repoſuit, nec mentiri ſibi licere, neque ubinàm vir quæſitus conſiſteret, nequaquàm prodere poſſe: maluit ſe injuriis atque modis omnibus indignis vexari, quàm ſecreti fidem violare; *Ad Imperatorem ductus (ipſe Firmus) uſque adeò mirabilis apparuit, ut ipſi homini, quem ſervabat, indulgentiam ſine ullâ difficultate impetraret.*

S. Aug. lib. de mendac. n. 23. 6. tom. 434. a.

Ex naturali eorum connexione, quæ circà Leges de ſecreto diximus, apertum fit quid ſit cogitandum de temerariâ curioſitate, quâ quis ſigilla appoſita abrumperet, Epiſtolaſque reſignaret, ut quod vo-

volunt alii ſecretum manere, detegeret. Publicæ fidei intereſt, ſigna atque ſigilla inviolata ſacro ſanctaque haberi, neque niſi ab iis ad quos pertinet, auferri. Gloſſa in Decretalem quamdam Epiſtolam, quam Innocentius III. cuidam Archiepiſcopo Senonenſi inſcribit, ſic habet de quocumque qui eò audaciæ progreditur, ut ſigilla violet Epiſtolarum: *Ideò eſt puniendus, tam quàm falſarius.* Ejuſmodi temeritas crimen eſt ingens, ſi quidem ipſam etiam adjunctam habeat perfidiam, quâ Jus Gentium temeratur: Quoddam injuſtitiæ genus eſt, quo perindè fit injuria & ei qui ſcripſit Epiſtolas, & illi, cui eædem inſcriptæ ſunt. Ejus generis temeritas non poteſt igitur excuſari à peccato, nec à peccato mortali ſaltem in plurimis caſibus quemadmodùm obſervatur à S. Thomâ, cui cæteri Theologi conſentiunt; Ac potiſſimùm, ſi juxta accederet cauſa metuendi ne ex iſtâ ſigillorum violatione grave aliquod incommodum redundaret vel in eum qui Litteras inſcripſit, vel in illum, cui eædem inſcribuntur, aut ſiquid in illis contineretur, quod utriuſque multùm intereſſet ſub ſigillo ſecreti remanere.

Gloſſ. in Cap. Cùm olim. 1. de Offic. & pot. Jud. de leg. verb. ſigilla violanti.

S. Thom. 2.2.q.59. art. 4. in Corp.

Inter veritates, quas taceri neceſſe eſt, recenſendæ etiam certæ quædam videntur, quæ pertinent ad Religionem, quaſque quibuſdam in circumſtantiis, aut ſupprimi, aut nonniſi cum plurimâ ſapientiâ ac con-

aptâque temperandis animis ratione proferri, volunt prudentia atque circumſpectio: Nihil eâ in re de noſtro proponere animo eſt, ſed inſiſtere veſtigiis Sanctorum Auguſtini & Thomæ, quorum ipſiſſima verba referemus.

S. Aug. de Dono Perſever. n. 40. Edit. BB.

Sic loquitur S. Auguſtinus in libro, quem de Dono Perſeverantiæ inſcripſit: *Facile eſt enim, imò & utile, ut taceatur aliquid verum propter incapaces. Nam undè eſt illud Domini, Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modò? Et illud Apoſtoli; Non potui vobis loqui tanquàm ſpiritualibus, ſed carnalibus: Quaſi parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis? .... Cauſas verum tacendi longum eſt omnes quærere, vel inſerere: Quarum tamen eſt & hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dùm volumus eos qui intelligunt facere doctiores; Qui nobis aliquid tacentibus, doctiores quidem non fiunt ſed nec pejores fiunt.*

Totus in eâ re S. Thomas concordat cum S. Auguſtino. Iſtam nimirùm S. Doctor proponit ſibi quæſtionem, nùm Miſſionarius debeat chriſtianas veritates annunciare in Regione, in quâ prædicari eaſdem à Principe prohibetur: Ut autem rectiùs intelligatur Reſponſio S. Doctoris, ſunt cum eo diſtinguendæ plurimæ eæque diverſæ circumſtantiæ. *Vel prohi-*

betur

betur tantùm à Tyranno aut ſimul à Tyrano & Populo: Si primo modo, ſic cùm de multitudine ſint aliqui qui audire volunt, non eſt dimittenda prædicatio; Quamvis ſic ſit moderanda quòad tempora & loca, ut ex timore ad Tyrannum non impediatur, & quandòque etiam tunc licet prædicare occultè per domos, ſicut ab Apoſtolis legitur factum. S. Thom. quodlib. 12. art. 28. in Corp.

Quòad alterum diſtinctionis membrum, hoc eſt, ſi Princeps & Populus unanimi conſenſu conſpiraverint in Evangelii prædicationem impediendam, iterùm audiatur S. Thomas: *Si ſecundo modo, tunc debet cedere Prædicator & fugere ad alia loca, ſecundùm præceptum Domini.* Ibid. Conſuli poſſunt ea, quæ ſuperiùs diximus, ubi fecimus de perſecutione fugiendâ ſermonem.

Et item & alia cum eodem S. Doctore rurſùm adhibenda diſtinctio, quò ſatisfiat accuratiùs quæſtioni, quam ſibi proponit: *Aut (Prædicator) habet curam animarum,* Ibid. inquit, *aut non, id eſt prædicat ex neceſſitate officii, aut propriâ ſponte: Si primo modo; Sic non debet dimittere gregem, etiam propter periculum mortis, dummodò poſſit aliquod bonum facere, remanendo cum grege. Si ſecundo modo, ſic etiamſi poſſet ibi inter tales fructificare, non tenetur inter tales ſtare, nec ad ponendum animam ſuam, niſi in caſu; Puta, ſi aliquis vellet corrumpere fidem, & tunc, ubi periclitaretur, teneretur*

animam pro fratribus ponere, quia hoc eſt in præcepto in tali caſu ... quia omnia conſilia in caſu ſunt in præcepta.

Ex dictis patet, quantùm indigeant ii tum conſilio, tùm prudentiâ, quibus ex officio incumbit annunciare veritates Religionis, ne, dùm ſtudent veritatem præpoſterè prædicare, eidem ingens inferant detrimentum: Oportet autem, eos iſtius ſemper eſſe memores, quòd nimirùm ſuum Miniſterium ſit poſitum in ædificationem, nec conferri debeat in deſtructionem. Iis utilitas proximi debet eſſe loco Regulæ principalis, ad cujus amuſſim ſeſe accomodent, ſivè ut animo conſtanti vocem attollant, ſivè ut eandem prudenti ſilentio ſupprimant. *Sit Rector* *diſcretus in ſilentio*, inquit S. Gregorius Papa, *utilis in verbo; Ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeſcat. Nam ſicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita, indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* Addit alibi laudatus ſummus Pontifex, hoc in more poſitum eſſe apud viros ſanctos, ut quam in intimis pectoribus reconditam retinent, ſcientiam non proferant exteriùs, niſi quandò eandem conſpiciunt poſſe aliis prodeſſe: *Cùm verò conſpiciunt, quia Auditorum vitam loquendo lucrari non poſſunt, tacendo abſcondunt ſuam ſcientiam. Ad imitandum quippè viam Domini, quaſi ad* quod-

2. part. Paſt. cap. 4.

22. in Job. 12.

quoddam nobis præpoſitum ſignum currimus: Ipſe enim, quia Herodem vidit non profectum quærere, ſed ſigna, vel ſcientiam velle mirari, requiſitus ab eo, tacuit.

CAPUT XV.

De veritatibus proferendis.

RAtionem tenere non ſufficit diſtinguendorum temporum atque locorum, quibus veritas aut abſolutè tacenda, aut verbis aliquatenùs temperanda ſit; Eſt præthereà neceſſe, obſervari tempora ac circumſtantias, in quibus urget ejuſdem detegendæ ac palàm proferendæ præceptum. Veritates eò loci ſolas attingimus, quæ de facto ſunt. Quædam verò ejus generis occurrunt, quæ non poſſunt abſcondi, quin peccetur aut adversùs obedientiam autoritati legitimæ debitam, aut contrà caritatem, quâ quiſquis ergà proximum tenetur, aut tandem contrà bonam fidem quæ ſocietatis anima eſt atque vinculum.

I. Veritates, quæ ſunt revelandæ ex obedientiæ officio ac propter bonum publicum.

Qui Principibus atque Poteſtatibus honor habendus eſt, imponit neceſſitatem, eorumdem accedente mandato, veritates aperiendi, quæ certò ſciuntur, & quarum declaratio vel rei communis ac publicæ multùm intereſt, vel cauſæ privatorum inſervit, qui Judices imploraverunt

runt & ſeſe receperunt in eorumdem tutelam. Appellatur aliquis ad dicendum teſtimonium: Non poteſt ſeipſum facere immunem à respondendo ad interrogata, quæ legitimâ autoritate ſibi proponuntur, niſi ſibi ſilere liceat per peculiares quasdam Leges, quibus in plurimis caſibus Legi generali modus etiam conſtituitur; Quibus caſibus ſecluſis & ipſâ Lege generali totâ, quantùm ei ſubeſt roboris, extante, quisquis obligatur in conſcientiâ, ad obediendum, nec poteſt imperium detrectare, quin conſtitutæ ab ipſo Deo ordinationi totus refragetur. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: inquit Apoſtolus, S. Paulus,
Rom. 13. 1. & ſeqq. *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Deo ordinationi reſiſtit; Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Indè ſic concludit Apoſtolus: *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; Ideò enim & tributa præſtatis, Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergò omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Neque verò minori jure eſt indè inferenda, quæ ſubeſt obligatio iisdem declarandi veritates, quarum habetur certa notitia & de quibus interrogare non alie-

alienum ducunt, ut indè ſeſe cum ſapientiâ & æquitate in iis dirigant, quæ pertinent vel ad communem rerum adminiſtrationem, vel ad ferendum de diſſidiis privatorum rectum judicium. Abſtinebimus à diſcutiendis eò loci caſibus, in quibus juxtà Regulas ipſo Jure conſtitutas datur teſtimonii dicendi immunitas, quippè nihil ejusmodi inquiſitio ad noſtrum propoſitum conferat. Satis erit obſervaviſſe nequidem iſtam immunitatem haberi vel etiam ex juramento, quo quis alicui reo fidem factam confirmaviſſet, futurum nunquàm, ut adversùs eum teſtificaretur. Cùm enim ſit ejusmodi juramentum injuſtum, temerarium atque illicitum, abſque novo peccato nequit adimpleri Summus Pontifex Alexander III. Scribens ad Exonienſem Episcopum, ei declarat, nequaquàm gravari eum debere teſtimonium audire plurimorum Teſtium adversùs ſacerdotem quemdam qui eos omnes, adhibito jure-jurando, adegerat, ad nunquàm detegendam ſuam culpam: *Eos,* inquit, *qui ſunt juramento aſtricti .... in teſtimonium recipere non poſtponas.* In quæ verba Gloſſa ſic habet; *Nonobſtante juramento tali, quod iniquè fuit extortum, jurabunt dicere veritatem ſuper negotio principali; cùm illud juramentum fuerit illicitum, & ſine peccato ſervari non poſſet, cùm celare veritatem*

Alex. III. in cap. Intimavit. 18. de teſtib.

Gloſſ. in d. c. juramento.

tem ſit peccatum mortale. Autor autem laudatæ Gloſſæ ſuam ſententiam confirmat autoritate Canonis cujusdam, quem extractum putat ex Operibus S. Auguſtini, quemque S. Thomas etiam adhibuit ut ejusdem S. Doctoris fetum : Quicquid ſit, ſic iſte Canon refertur. *Quis metu cujuslibet pro teſtatis veritatem occultat, (tunc ſcilicet cùm inducitur in teſtem) iram Dei ſuper ſe provocat, quia magis timet hominem, quàm Deum uterque reus eſt & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: Ille prodeſſe non vult; Et iſte nocere deſiderat.* Cæterùm, ſint ſubdititia nec-ne quæ verba S. Auguſtino attribuuntur, non minùs vera eſt atque indùbitata Alexandri III. deciſio.

2. 2. q. 70. art. 1. S. Aug. in Can Quiſquiſ. 88. 15. q. 3.

Illud idem decernitur ab Innocentio III. Papâ occaſione cujusdam Archiepiſcopi qui ſimoniæ poſtulabatur & plurimos è propriis conſanguineis fide juramenti adſtrinxerat, ne contrà ſe dicerent teſtimonium. Quorum ſummorum Pontificum placitis conſonat eriam Gregorius IX.

Innoc III. in Cap. Conſtitutis. 45. de teſtib. & atteſt. Greg. IX. in Cap. Olim. 26. de Accuſat, 1. 5. tit. 2.

Hæc autem rationum momenta potiſſimùm adducuntur in confirmationem allatorum Decretorum; 1. Quia teſtificandi officium eſt juris publici : Porrò non poteſt aliquis privatus, quocumque ſeſe jure-jurando adegerit, quidquam de jure, quod ad publicum ſpectat, derogare, ut conceptiſſimis verbis dclaratur ab Innocen-

Digitized by Google

nocentio III. in unâ quâdam ex ipſius Decretalibus, quæ Piſaurenſi Archiepiſcopo inſcribitur.

Innoc. III. in Cap. Diligenti. 12. de foro compet. l. 2. tit.

2. Repugnat bonis moribus, quemquam induci ad occultandam aliquam veritatem, quam efferri palàm publici intereſt; Quippe aliter, ut ait Innocentius III. & crimina remanerent impunita, & ex impunitatis audaciâ improbi in nequiores evaderent. *Cùm publicæ utilitatis interſit, ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant qui nequam fuerant, nequiores.*

Gloſſ. ind. Cap. Si diligenti. in Expoſit Caſus, & v. Pacto privat.

Si publici commodi causâ ac propter debitam Poteſtatibus reverentiam neceſſitas incumbat declarandarum veritatum, quarum certa cognitio habetur, idem etiam ut plurimùm inducit munus caritas, quâ debemus proximum complecti. Eſt res criminoſa prorsùs atque punienda, quòd quis ex indifferenti animo ſuos fratres permittat erroribus atque deliramentis ludificari, cùm in eorumdem animum ſcientiam ac perſuaſionem inducendo veritatis, poteſt eos in viam ſalutis revocare, atque ab illis funeſtis caſibus ſubducere, quibus propriâ animi cæcitate atque depravatione miſerrimi exponuntur.

II. Veritates quæ ſunt ex animo caritatis in proximum enunciandæ.

Correctio fraterna officium eſt, ad quod adimplendum alii ergà alios pro virili parte omnes omninò tenemur. Obligationi corripiendorum fratrum vult ſcrip-

Scriptura Sacra vim Legis expreſſiſſimæ
Galat. 6. 1.& ſeqq. annecti : *Fratres*, inquit Apoſtolus S. Paulus, *& ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.... Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Iſtæc onera ſunt peccata atque infirmitates proximi : ſupportantur autem non ſolùm ; cùm in ſpiritu lenitatis & cum manſuetudine ferantur, & cùm lubenter ignoſcuntur, ſed etiam, quandò cum caritate reprehenduntur. Quod potiſſimùm intelligit laudatus Apoſtolus, cùm ſcribens ad Theſſalonicenſes, iis commendat, ut eo qui perverſè inter eos vivunt, corripiant, *Corripite inquietos*, inquit.
1. Theſſ. 5. 14. Inquietos autem eos appellat, qui tranquillitatem Eccleſiæ turbant vel impiâ ſuæ Doctrinæ corruptelâ, vel contagiosâ morum ſuorum depravatione. In ſecundâ ſuâ Epiſtolâ fideles eoſdem docet, quâ ratione ſit iſta correctionis Lex adimplenda :
2. Theſſ. 3. 14. *Quod ſi quis, ait, non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur; Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* Quibus verbis Paulus nihil aliud ſuggerit, quàm quod ipſe ſuo præcepto Salvator conſtituit, quandò nimirùm ſic dixit *ſi autem peccaverit in te fra-*
Matth. 18.15. & ſeqq. *ter tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum*

ipſum ſolum. Si te audierit : Lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit : Adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos : Dic Eccleſiæ ; Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Atque ita J. C. iſtis verbis ſimul indicat nobis & præceptum, quod inſtituit ab omnibus ſuis Diſcipulis ſervandum, & animum ac finem, quibus idem adimplendum eſt, & denique ordinem qui obſervandus eſt in iſtâ Lege exequendâ. Quanquàm autem prædicta Lex generalioribus verbis concipiatur, non omnes tamen obligat ſine exceptione fideles, neque in quibuſcumque generatim rerum circumſtantiis, ſed eos tantùm, qui poſſunt reprehendendo prodeſſe. Quæ materia, utpotè graviſſimi omninò momenti, quò meliùs intelligatur, quædam neceſſariò requirit præmittenda. Eſt igitur obſervandum, duplex genus eſſe præceptorum, quorum alia dicuntur à Theologis negativa, alia verò affirmativa. S. Thom. 2.2.q.33. art. 1. in Corp. Præcepta negativa id fieri prohibent, quod peccatum eſt : Quemadmodùm autem Actus, cui ratio peccati ſubeſt, eſt in ſeipſo malus, finemque habet, qui naturâ ſuâ illicitus eſt, ſequitur, ejuſmodi præcepta obligare ſemper & pro ſemper, proptereà quòd res, quæ in ſe ipsâ

mala eſt nunquàm poſſit, quæcumque circumſtantia accedat, bona evadere. Eſt præceptorum affirmativorum longè alia conditio; Præcipiunt nimirùm actus virtutis. Porrò, ut illis actibus inſit integra bonitas, neceſſe eſt ad eosdem accedere requiſitas omnes circumſtantias, quibus reddantur perfectè boni: Indè ſequitur, præcepta affirmativa non ſemper, nec in quibuscumque caſibus eſſe obligatoria, ſed in certis tantùm quibuſdam circumſtantiis, ad quas maximè reſpiciendum eſt, propter connexionem, quam habent cum eo quod præcipitur; Adeò ut, ſi occurrerit aliqua circumſtantia, quæ fini bonæ actionis opponatur, aut quæ eam deſtruat, jam ejusmodi actio non ſit habenda ut actus virtutis neque proindè ut Actus imperatus.

bid. a. Quibus poſitis principiis, aſſerendum eſt cum S. Thomâ, in quibusdam circumſtantiis nequaquàm urgere fraternæ correctionis obligationem, quippè ejusmodi correctio nonniſi præcepto affirmativo præcipiatur. *Si propterea,* inquit S. Auguſtinus, *quisque objurandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos aliquos impediant infirmos & premant atque avertant à fide, non*

S. Aug. L. 1. de Civit. Dei. c. 4.

non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium caritatis.

Quæ hîc habemus de omittendo fraternæ correctionis præcepto, nonniſi ad eos pertinent qui vitam degunt privatam, quosque ut plurimùm oportet ſuum zelum ex eo metiri, quod errantibus congruere magis poteſt atque prodeſſe. Sunt autem Præpoſitis aliæ regulæ conſtitutæ: Quemadmodum in ſuos inferiores jure fruuntur coactivo, & ipſa, quam iiſdem adhibere tenentur, correctio commune bonum ſpectat, eam omittere non debent, eò quòd ipſa poſſit quoſdam inferiores errantes offendere; Si namque iſti nolint ſeſe in melius immutare, debet Præpoſitus pœnam addere correctioni, quæ nihil profecerit, & hæc ipſum urget obligatio, non ſolùm, ut impediat, ne errans in malo perſeveret, ſed etiam ut caveat, ne ex ſpe impunitatis exiſtentur alii ad ejuſmodi peccata perpetranda.

Dixi privatos ut plurimùm oportere zelum ſuum ex eo metiri, quod errantibus congruere magis idoneum eſt atque prodeſſe, quia nimirùm occaſiones occurunt, in quibus zelus ipſorum inferiorum debet excitari Atque agere in gratiam communis boni, quin etiam in Præpoſitos eſſerveſcere, qui in errores graviſſimos & in peccata ingentia inci-

diſſent: Quam obſervationem ipſe nobis ſuppeditat S. Thomas: *ſciendum tamen eſt*, ait S. Doctor, *Quod, ubi immineret periculum fidei, etiam publice eſſent Prælati à ſubditis arguendi! Undè & Paulus qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circà fidem, Petrum publicè arguit. Et ſicut Gloſſa Auguſtini dicit ad Galatas. 2. Ipſe Petrus exemplum majoribus præbuit, ut ſicubi fortè rectum tramitem reliquiſſent, non dedignentur etiam à Poſterioribus corripi.* In aliis circumſtantiis levioris momenti, in quibus nihil fidei immineret, S. Thomas ait, à privatis ſuperiores de ſuis erroribus adhibitâ decenti reverentiâ atque ſeorsùm eſſe commonendos: Additque S. Doctor, ſic ab Apoſtolo S. Paulo fuiſſe Coloſſenſibus commendatum, ut eâ cautione darent conſilium ſalutis Epiſcopo Archippo, eique dicerent; *Vide Miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.* (Laudautus autem Archippus non erat Epiſcopus Coloſſenſis, ut videtur opininari S. Thomas, ſed iſtam Eccleſiam, abſente Epaphras, qui primus ipſius Epiſcopus fuit, regebat.)

S. Thom. 2.2.q.33. art. 4.

Inferioribus verò Legis iſtius caritatis in Superiores obſervandæ debet amorem excitare naturalis principii cujuſdam conſecutio, quod S. Auguſtinus ſtatuit. Periculum Paſtoris ipſos ſimplices Fideles

deles ſpectat, eoſque debet commovere. *Quomodò & vos alieni eritis*, inquit S. Doctor, *Si tota navis periclitatur? Quod ideò dixi, ne in hâc quartâ tentatione tanquàm noſtrâ propriâ, (ubi opus eſt, ut ab orationibus non deſiſtatis, nam vos primò naufragatis) minùs ſolliciti ſitis, & pro nobis minùs oretis. Quid enim, fratres quia ad eadem gubernacula non ſedetis, non in eâdom navi navigatis?* Pia autem iſta ſollicitudo, quam S Epiſcopus ſimplicibus Fidelibus tantoperè commendabat, non ſeſe tantùm extendit ad continuas atque ferventes orationes, quæ ſunt in gratiam Paſtoris effundendæ, ſed præthereà exigit, ut illi ipſum commoneant inſidiarum, quæ ei componi poſſent, ſcopulorum, qui forſitan ipſum laterent, viarum obliquarum ac periculoſarum rerum, in quas vellet ſe ipſum conjicere & quaſcumque tandem aperiant ei veritates, quarum cognitio tùm ad propriam ipſius, tùm ad communem utilitatem gregis plurimùm poteſt conferre.

S. Auguſt. in Pſalm. 106. n.7.

Quæ plurimùm obtinere debet in pactionibus, quas Homines ſecum invicem faciunt, eos etiam bona fides obligat, ad veritatem ſibi mutuò manifeſtandam atque ad eas imprimis detegendas, quarum ignorantia poteſt vel proximò aliquid afferre detrimenti, vel eum in periculum aliquod adducere. Contractus

III. Veritates, quas vult bona fides detegi, quæ debet in communi Hominum

mmcoercio locum habere. ex intervenientibus dolo atque fallaciâ fiunt iniqui & illiciti. Nuſquàm licet fallere proximum, aut quod in idem, recidit, eum ex malitiâ ac privato commodo in errore relinquere qui ei damnoſus eſt. Sive vendatur, aut ematur, crimen eſt, quod honori & conſcientiæ perindè repugnat, eum decipere, quocum res habetur atque tractatur. Nullus adhiberi dolus nec poteſt, nec debet, neque quantùm ad ſpeciem, neque quantum ad qualitatem, vel quantitatem rerum, quæ in commercium ingrediuntur. Imò & obligatio inducitur (etiamſi forſitan non requiratur) occultorum etiam, quæ rei vendendæ inſunt, detegendorum vitiorum, quoties ex eorumdem ſuppreſſione poſſet aut damnum aut quodcunque periculum ementi contingere. *In Contractibus*, inquit S. Ambroſius, *vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac niſi intimaverit venditor, quamvis in jus exemptoris tranſierint, doli actione vacuant.*

S. Ambr. l. 3. de Offic. cap. 10.

Quæ principia de ſervandâ in contractibus bonâ fide Juri naturali ſic congruunt, ut nec ipſos quidem Ethnicos latuerint. Eadem Cicero ponit ac propugnat mirandum in modum in tertio ſuo libro de Officiis. Illa ipſe adhibet, ad plurimas, quas proponit ſibi, ſolvendas quæſtiones. Mirum ſanè videtur, Philo-

Cicero offic. lib. 3. n. 50. & ſeqq.

loſophi, cui ſolum prælucebat lumen rationis, deciſiones inveniri ſtrictiores atque multò ſeveriores deciſionibus plerorumque Chriſtianorum noſtri temporis Caſuiſtarum. Sic autem ſe habent quæſtiones quædam, quas Cicero ſibi proponit, & reſponſiones, quibus iisdem facit ſatis. „ Mercator Alexandriâ Rho-
„ dum magnum frumenti numerum ad-
„ vehit in Rhodiorum inopiâ & fame,
„ ſummâque annoncæ caritate: Scit com-
„ plures Mercatores ab Alexandriâ ſol-
„ viſſe, navesque in curſu frumento o-
„ nuſtas, petentes Rhodum, in eam In-
„ ſulam jàmjàm adventuras. Nùm ille,
„ quod certò certiùs novit dicturus Rho-
„ diis, an celaturus eſt, quo ſilentio
„ frumentum ſuum quàm plurimi ven-
„ dat?

„ Sunt alicujus ædes, quas animo ha-
„ bet vendere propter aliqua vitia, quæ
„ novit ipſe, cæteri ignorant: Peſtilen-
„ tes ſunt & habentur ſalubres: Igno-
„ ratur, in omnibus cubiculis apparere
„ ſerpentes: Malè materiatæ ſunt ac
„ ruinoſæ; Sed hæc præter Dominum
„ nemo ſcit. Quæritur, ſi iſtæ empto-
„ ribus venditor non dixerit, ædeſque
„ vendiderit pluris multò, quàm ſe ven-
„ diturum putarit, nùm id injuſtè atque
„ improbè fecerit?

Circà ejus generis quæſtiones Cicero

primùm refert opiniones aliquorum inter ſeſe non convenientium Philoſophorum. Deindè pro ſuâ vindicat ac pro aris & focis defendit eam ſententiam, quæ præſcribit, in utroque prædicto caſu non reticeri veritatem.

„ Ecquid, ait Antipater frumentarium „ Mercatorem condemnans nonnè Ho„ minibus conſulere debes & ſervire hu„ manæ ſocietati? Nonnè eâ lege na„ tus es? Ea, quæ habes principia „ Naturæ, quibus parere & quæ ſequi „ debes nonnè hoc tibi dictant, nimirùm „ utilitatem tuam communem utilitatem „ eſſe, viciſſimque communem utilitatem, „ tuam eſſe? Quomodò igitur celabis „ Rhodiis, quid iis adſit commoditatis „ & copiæ?

„ Quòad alteram quæſtionem, idem „ Antipater iterùm pronunciat contrà „ venditorem ædium ſuarum vitia non „ prodentem. Ita ſanè, inquit, injuſtè „ ac prorsùs improbè facit, iſtæc vitia „ celando. Quid enim eſt aliud, erranti „ viam non monſtrare, (quod Athenis „ execrationibus publicis ſanctum eſt,) „ ſi hoc non eſt, emptorem pati ruere, „ & per errorem in maximam fraudem „ incurrere? Plus etiam eſt, quàm viam „ non monſtrare; Nam eſt ſcientem in „ errorem alterum inducere.

Cicero, poſtquàm ſententiam & rationes

nes Antipatri retulit, de ſuo deindè ſubjicit: „ Et hæc jam dijudicanda ſunt; „ Non enim, ut quæreremus expoſuimus „ ſed ut explicaremus. Non igitur vi- „ detur nec frumentarius ille Rhodios, „ nec hic ædium venditor, celare, „ emtores debuiſſe. Neque enim id eſt „ celare, quidquid reticeas: ſed cùm, „ quod tu ſcias, id ignorare emolumen- „ ti tui causâ velis eos, quorum interſit „ id ſcire.

Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? Certè non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni: Verſuti potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot & alia plura nonnè inutile eſt vitiorum ſubire nomina? Ibid. n. 57.

Quam ſuam deciſionem authoritate Juris Romani, ipsâ Ratione & principiis Legis Naturalis comprobat. Duodecim Tabulis ſatis erat, inquit, ea præſtari, quæ eſſent linguâ nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret. „ At verò â Jureconſultis etiam reticen- „ tiæ pœna eſt conſtituta; Quidquid „ enim ineſt vendendis rebus vitii, id „ ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi no- „ minatim dictum eſſet, præſtari opor- „ tere. Ibid. n. 68.

„ Sed aliter Leges, inquit, aliter Phi- „ loſophi tollunt aſtutias: Leges non ni-

„ ſi manifeſtas tollunt & quatenùs eas „ quodammodò manu tenere poſſunt. „ At Philoſophi, adhibitis tùm ratione, „ tùm intelligentiâ, ad earumdem uſque „ radices extirpant. Ratio igitur hoc „ poſtulat, ne quid inſidiosè, ne quid „ ſimulatè, ne quid fallaciter agatur. Ip- „ ſa Naturæ Lex in iſtis Philoſophorum rationibus atque in ejuſmodi diſpoſitio-

Ibid. n. 72. nibus Juris ſeſe loquentem prodit. „ Ex „ quo intelligitur, addit Cicero, quo- „ niam Juris Natura fons ſit, hoc ſecun- „ dum Naturam eſſe, neminem id agere „ ut ex alterius prædetur inſcitiâ. Nec „ ulla pernicies vitæ major inveniri po- „ teſt, quàm in malitiâ ſimulatio intelli- „ gentiæ.

Et hæc ipſiſſima ſunt verba, quæ de propoſitis quæſtionibus Autor Ethnicus habebat. Eam, quæ de frumentario Mercatore inſtituitur, plurimi Caſuiſtæ

Vid. Sylv. in S. Thom. 2. 2. q. 77. à 3. quæſit unic. concluſ. 1. Cardin. Caſet. in cit. Art. 3. Sylv. de Prierio v. Emptio.

ratione prorsùs diversâ diremerunt. Satis erit eos ad marginem indicaviſſe, qui inter alios notæ ſunt inſignioris. Nimium tæderet eorum ipſiſſima verba referre, diſtinctiones, quas adhibent, & reſponſiones, quibus diluunt objecta. Aiunt nimirùm, ejusmodi Mercatorem non equidem peccare contrà juſtitiam, ſed quandòque poſſe fieri, peccare contrà caritatem: Exempli causâ, ſi nollet diverſis emtoribus ſuum frumentum vendere, ſed uni.

uni tantùm vellet vendere privato, qui illud eo potiſſimùm animo emeret, ut apud ſe retineret reconditum, ac deindè iterùm quàm plurimo venderet, cui quidem emtori ingens afferret detrimentum, quippè ei neceſſitas poſtmodùm eſſet illius frumenti pretio multò viliori vendendi propter abundantiam quæ ſupervenit, quamque citò citiùs acceſſuram Mercator optimè noverat. *Sin autem*, inquiunt, *eas* (*merces*) *minutatim diſtraheret in varios emptores, neque contrà caritatem, neque contrà juſtitiam faceret.* His autem rationum momentis iſtas deciſio potiſſimùm innititur; 1. Scilicet cuique Mercatori jus illud acquiſitum eſſe, ut ex propriâ ſuâ induſtriâ atque diligentiâ profectum faciat. Bannez in loc. cit. S. Thom. Sylv. loco cit. ſuprà.

2. Ab ipſo frumentum ultrà juſtum ipſius pretium non vendi, quippè juſtum illud pretium cùm à Magiſtratu non conſtitutum eſt, in communi æſtimatione conſiſtat. 3. Sicut venditor nullâ reſtitutionis obligatione teneretur, ſi ſuum frumentum juſto pretio vendidiſſet, quanquàm ſibi paulò poſt fuiſſet renunciatum, ejusdem pretium retrò abiiſſe, neque ipſum etiam ad reſtituendum obligari, licèt illud vendiderit cum certâ ſcientiâ jàmjàm eidem vilitatis acceſſuræ, quippè in utroque caſu mercium eandem ſpeciem in eodem loco, eodem-

que

que tempore & juxtà pretii eandem exiſtimationem, ut ſupponitur, vendat.

4. Qui merces aliquas emit, non tenetur, ad eaſdem cariori pretio exolvendas, cùm novit, futurum, ut illæ paucos intrà dies rareſcant: Ergò venditor qui prævidet, futurum, ut merces paucis diebus imminuantur pretio, non magis obligatur, ad eas minori pretio vendendas, eo, quod ſecundùm communem hominum æſtimationem obtinet.

Qui Doctores omnes ſuam ſententiam fulciunt ipſius autoritate S. Thomæ, qui in ipsâ rei veritate eadem habet de ſubjectâ materiâ, iſtud tamen addens, futurum ſcilicet majoris virtutis ac perfectionis, ſi Mercator ille quod novit de Mercibus intrà paucos dies adventuris, candido animo detegeret, aut de earumdem pretio aliquid ſaltem ſubtraheret, licèt ex debito juſtitiæ ad neutrum videatur obligari. *Si tamen exponeret*, inquit S. Doctor, *vel de pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex juſtitiæ debito.*

S. Thom. 2.2.q.77. a.3. ad 4.

Reverentia, quæ plurima debetur tùm S. Thomæ, tùm celebriori nomini, quo cæteri, quos appellavimus, Theologi gaudent, non obſtat, quominus ſumma ſit admiratio Philoſophi Ethnici, qui tam ſublimia adeòque egregia de bonâ fide

ſide in commercio ſervandâ ſcripſit. Iſtæc ſiquidem ad altiorem perfectionis cumulum aſcendere nequaquàm poſſunt, neque quidquam ſupereſſet in iis deſiderandum alteriùs, ſi forent ab eo fontis atque caritatis fonte, qui conſtituit veri nominis Chriſtianum, derivata. Multi pauliſper fuimus in referendis principiis, quæ de iſtâ morali Doctrinâ Cicero poſuit, quoniam quæ continentur in iis, veritates ad Chriſtianos pertinent, iiſque potiſſimùm jus competit eaſdem tanquàm ſuas reclamandi. Ipſæ veritates quaſi aurum ſunt Ægyptiorum, quo debent Iſraëlitæ diteſcere, ut inquiebat S. Auguſtinus. *Si qua fortè vera & fidei accomoda dixerunt* (*Philoſophi*) ait idem S. Doctor, *ab eis tanquàm ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vidicanda ſunt.* S. Aug. Conf. l. 7. c. 9. Idem de Doct. Chriſt. l. 2. c. 18.

CAPUT XVI.

De veritatibus, quas altiùs perſcrutari non debemus.

Omnes, quotquot ſunt, naturales ſcientias mens humana poteſt jure proprio ſibi tanquàm ſuas vindicare. Ineſt etenim animæ noſtræ, utpotè quæ ſit intelligens ſubſtantia, jus acquiſitum neque ex ullâ parte controverſum rimandarum vel ab ipſis etiam radicibus veritatum,

inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem. Cùm non adeſt ſuperius lumen, quo determinetur animus, licet omninò propriis noſtris perceptionibus tutò adhærere: Eadem quippè eſt rerum merè philoſophicarum conditio, ac illorum, quæ nihil ad fidem pertinent, & de quibus S. Paulus habet in ſuâ ad Romanos Epiſtolâ ſermonem: Poteſt unusquisque, quam veriſimiliorem aut tutiorem putat, ſequi opinionem, ac pro modo, quo ſibi perſuaſionem induit, agere; *Unusquique*, inquit laudatus Apoſtolus, *in ſuo ſenſu abundet.* Rom. 14. 5.

Idem verò dici nequaquàm poteſt de veritatibus, quarum cognitio pendet à divinâ revelatione: Oportet animum in iis conſiſtere, quæ placuit Deo detegere Eccleſiæ ſuæ tùm in Sacris Paginis, tùm ipſius ope traditionis; Eum ulteriùs progredi nefas eſt. In id verò totum intendere eum neceſſe eſt, ut ſanctiſſimis iſtis veritatibus ſe ipſum paſcat, easdem ſecum attentè ſimùl atque humiliter cogitet, eas, cùm apprehendere non valet, ſummâ cum Religione veneretur, ac tandem ad illarum normam ſenſus interiores ac totam ſuam agendi rationem accommodet.

Eſt hoc fidei proprium, ut ſimplex eſſe debeat: *In ſimplicitate fides eſt*, inquit S. Hilarius. Sæpè ſæpiùs fit, ut Lib. 10. de Trinit.

cùm

ribus operibus ejus ne fueris curioſus ; *Non eſt enim tibi neceſſarium ea*, *quæ abſcondita ſunt*, *videre oculis tuis. In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter*, *& ni pluribus operibus ejus non eris curioſus* : *Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi* : *Multos enim ſupplantavit ſuſpicio illorum*, *& in vanipate detinuit ſenſus illorum.* Sic iſtis verbis ſapiens ſtatuit neceſſitatem captivandi intellectûs in obſequium fidei, atque animum retinendi intrà juſtos limites humilis moderationis, quæ in eo potiſſimùm poſita eſt, ut curioſitas vincatur, ac reprimatur vanus ille pruritus eorum, quæ Deus abſcondi voluit cognoſcendorum.

Quod idem humilis moderationis officium divinæ Scripturæ nobis paſſim commendant : Apoſtolus S. Paulus vult, quæcumque reſcindi humana ratiocinia, & ab iis fidei deferri ſummum imperium; Omnem ſupprimi, quæ ſeſe inſolenter extollit adverſùs ſcientiam Dei, altitudinem; Omnem intellectum in captivitatem redigi in obſequium Chriſti; Nos in fide ſtare, noſtramque agendi rationem ad iſpam fidei lucernam, non ad Sophiſticæ rationis ſcintillulas accomodari. Ipſe etiam J. C. cuidam Apoſtolo fidem habere renuenti, priùsquàm propriis oculis vidiſſet, conceptiſſimis verbis declarat, ſummam beatidudinem

2. Corinth. 10. 5.

Rom. 11. 20. & ibid. 16. 26.

Joan. 20. 29.

in eo reponi, quod non videatur & nihilominùs credatur: Seſe mundi lucem
Joan. 12. 46. eſſe prædicat, & ait, cui lux illa per fidem collucet, nunquàm futurum, ut ille in tenebris ambulet. Totus erat Iſaias inſpirandâ eâdem animi diſpoſitione, quâ ſuis prophetiis adhiberetur obſequium,
Iſai. 7. 9. cùm hæc habebat: *Si non credideritis, non permanebitis*, ſeù juxtà 70. Interpretum verſionem, *non intelligetis*; Et cùm conqueritur, quòd reperiatur nullus, qui fidem habeat verbis, quæ Deus in ipſius
Ibid. 5. 1. ore poſuerat. *Domine qui credidit auditui noſtro?*

Leges iſtæ de obedientiâ præſtandâ ac de captivando intellectu in obſequium Divinæ autoritatis, altiores humanæ mentis ſpiritus equidem comprimunt, ſed nec propriis ipſius luminibus, nec intimis, quos experitur, ſenſibus adverſantur: Dictat ipſa ratio, ſiquidem divinis veritatibus capiendis atque perſpiciendis idonei minimè ſimus, neque eò uſque aſcendere noſter intellectus valeat, ut de iiſdem notiones claras atque diſtinctas recipiat, neceſſariò oportere autoritati, quæ ſuperior eſt, adhærere ac totum ſeſe permittere. Quin etiam propria experientia noſtræque imbecillitatis ſenſus continuò nobis clamant, inquirendum eſſe ducem aliquem qui ſit ipſo noſtro intellectu tutior, ne ab illis ſemitis aberremus,

remus, in quas non niſi ſolus Deus poteſt nos introducere atque conducere. Tenebræ, quibus anima noſtra tota obſcuratur, ſic eam ad medullas usque afficiunt, ut ipſa ſentiat, quàm merito quantoque cum fundamento S. Auguſtinus dixerit, quemadmodùm nequaquàm exiſteremus, niſi Deum habuiſſemus Creatorem, ità futuros fuiſſe nos veritatis penitùs inſcios, niſi ipſum haberemus Doctorem: *Quia natura noſtra, ut eſſet*, inquit S. Epiſcopus, *Deum habet autorem, procul dubio ut vera ſapiamus, ipſum debemus habere doctorem.* Abſque difficultate cum eodem etiam intelligimus, ut veritatis æternæ fiamus participes, neceſſarium prorsùs eſſe, nos divinis illuſtrationibus fidei præveniri atque illuminari. *Quia caligantes Hominum mentes conſuetudine tenebrarum*, ait iterùm laudatus S. Doctor, *quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur perſpicuitati ſanctitatique rationis aſpectum idoneum intendere nequeunt, ſaluberrimè comparatum eſt, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat autoritas.*

De Civit. Dei. l. 11. C. 25.

Lib. 4. Conf. c. 15. num. 3.

Idem lib. de morib. Eccleſ. Cathol. c. 2.

Sed ad intimum etiam ipſum noſtræ imbecillitatis ſenſum accedunt idea atque recordatio ſummæ Dei omnipotentiæ, ut nos efficiant ſaluberrimæ adeò autoritati obſequentes. Ipſa ſcilicet infinita Dei

agentis potentia validum argumentum eſt, quo ſufficienter impellimur, ad iis omnibus adhibendam fidem, quæ animus noſter nequaquàm poteſt comprehendere. Epiſt. 3. Atque hoc ipſum innuit, quod S. Auguſtinus ſtatuit, principium, cùm de Miſteriis fidei noſtræ facit mentionem, nimirùm *Totam rationem facti eſſe potentiam facientis.* Et verò quid juſtitiæ magis congruum eſt, quàm unius Dei cedere autoritati? Nonnè ratio ſuggerit, ea nobis eſſe credenda, quæ veritas ipſa dixit & quæ ſuprema potentia executa eſt? Ipſi Auguſtino inſiſtamus, qui in ſuâ Epiſtolâ ad Voluſianum hæc rursùm habet, & cum eo agnoſcamus, *Dandum Deo aliquid poſſe, quod fateamur nos inveſtigare non poſſe.*

Quod vel unicum principium humanæ rationi ſubjiciendæ ita ſufficit, ut ipſi eidem continendæ ſolum etiam aptum eſſet, quanquàm fides ei credenda proponeret, quæ evidentiæ opponerentur: Sed multùm abeſt, ut Religio credenda ejuſmodi nobis proponat. Plurimæ veritates, quas ipſa nobis revelat, captum noſtræ rationis equidem ſuperant, ſed nulla reperitur, quæ meritò dici poſſit naturali lumini aliquatenùs contraria, aut in ſe ipsâ aliquid involvens repugnantiæ. Attendatur, exempli causâ, ad Myſterium Trinitatis; Protinùs dicit ratio, hoc quod unum

unum eſt, triplex eſſe non poſſe; Quod verum eſt, ſi res fuerit ſub uno eodemque reſpectu conſiderata. Sed ratio non dicit, nequaquàm occurrere poſſe ſub ullo quocumque reſpectu unam quandam trinitatem in aliquâ re, quæ naturâ ſuâ una ſit. Nonnè eſt in animâ noſtrâ naturæ unitas, & facultatum, ſi ſic loqui fas fuerit, trinitas, nimirùm memoria, intellectus, atque voluntas? Itâ etiam nonnè diſtinguimus animum noſtrum ab ipsâ, quam habet ſuimet ipſius cognitione, & ab amore, quo ſeipſum proſequitur: Animus autem iſte, iſtaque cognitio & iſte amor tria ſunt, anima verò una eſt.

S. Aug. de Trin. l. 9. c. 3. 4. lib. 10. c. 11. & 12.

Quanquàm ejus generis comparationes plurimâ ſui parte claudicent atque imperfectæ ſint tamen evincunt, rem quæ fidei objectum eſt, neque eſſe impoſſibilem neque ab ipſius luminibus rationis ullo modo diſcrepantem. Jamverò, ſi rationi fides nihil repugnet ſed illud ſolumodò efficiat quòd ipſa ratio ad cognitiones ſuperioris ordinis aſſurgat, quas non poſſemus propriâ quæ nobis ineſt, facultate aſſequi, procul dubio grave nequaquàm eſſe debet, à nobis omnimodam præſtari totius animi noſtri aſſenſionem: Imò verò foret iniquum nolle acquieſcere & fidem denegare noſtram veritatibus, quæ autoritate infallibili nobis proponuntur.

Superfluum eſt plura addere de neceſ-

ſitate atque juſtitiâ obſequii, quod adhibere debemus veritatibus, quæ nos docet fides: Sed plurimùm intereſt, hoc potiſſimùm perpendi, quò-uſque ſcilicet in ejusmodi obſequium ſit intellectus noſter captivandus & quem noſtræ rationis uſum fides nobis concedere poſſit?

Quod ut, remotis omnibus ambagibus, reſolvatur, primò ſecernendæ veniunt diverſæ veritatum claſſes, quæ pertinent ad Religionem: Quasdam nobis fides ſola revelat; Alias & fides & ratio ſimul detegunt; Tertia denique ſpecies eſt veritatum, quas ipſa ſola ratio tanquàm conſecutiones educit ex illis veritatibus, quas fide cognoſcimus. 1. Veritates, quas nobis fides ſola revelat, illæ ſunt, quæ potiſſimùm habentur ex revelatione, quâ Deus qui primaria veritas eſt, easdem Eccleſiæ ſuæ manifeſtavit: Atque ejus generis ſunt Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis & quæcumque aliæ ejusdem ſpeciei veritates, quæ continentur tùm in Sacris Scripturis, tùm in Definitionibus Eccleſiæ.

Exigit fides, omnimodam atque perfectam animi totius ac voluntatis noſtræ veritatibus ejusmodi præſtari, quanquàm quâ ratione poſſint exiſtere nequaquàm apprehendere valeamus: At ejus generis obedientia non omnem omninò noſtræ rationis uſum interdicit. Quin

potiùs

potiùs præſupponit, ut mox obſervavimus, rationem, certam, claram atque evidentem, ipſiusque fundamento innititur, quod poteſt ad ſyllogiſmum ſequentem ſic reduci. Quidquid ens ſummè bonum atque verax, quod ab omni nos fallendi voluntate prorsùs alienum eſt, ens infinitè ſapiens atque perſpicax, quod non poteſt ſemetipſum decipere, nobis declarat, illud profectò debemus abſque ullâ tergiverſatione credere: Atqui Deus qui hoc ipſum eſt ens ſummè bonum atque verax, infinitè ſapiens atque perſpicax, nobis declarat, in ſe ipſo reperiri naturæ unitatem & trinitatem perſonarum &c. Ergò abſque ullâ animi dubitatione credere debemus, in Deo exiſtere unitatem naturæ & perſonarum trinitatem, cæterasque, quotquot ſunt, veritates, quarum revelatio nobis eâdem certitudine conſtat.

Habet etiam ratio locum, quæ ſibi proprii ſunt, actus eliciendi, circà requirenda argumenta revelationis, quæ nos potiſſimùm movet ad habendam fidem atque adhibendum noſtrum obſequium. Intellectus quidem ſeſe totum debet permittere autoritati infallibili quæ loquitur, ſed omninò jus ei relinquitur inquirendi, nùm reverà fuerit iſta infallibilis autoritas locuta.

At verò quoniam inquiſitiones ejus ge-

neris circà unumquemque fidei articulum, aut locum habere ut plurimùm non poſſunt, aut etiam ſimplicibus Fidelibus periculoſæ ſunt, quippè iis nec otium nec ille animi captus ſuppetant, quibus iſtis inquiſitionibus poſſint ſufficere, Deus iis offert viam & compendioſiorem & faciliorem, quâ eorum animi in fide ſtabiliantur atque certiſſimi firmiſſimique conſiſtant. Quæ via in eo conſiſtit, ut inhæreant definitionibus Eccleſiæ quæ eſt infallibilis ex privilegio atque ex perpetuâ aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, eodem modo, quo & ipſe Spiritus Sanctus à ſe ipſo atque ex propriâ naturâ ſuâ eſt infallibilis. Qui Eccleſiam iſtam audit, ipſum Deum audit. J. C. qui ipſius & Caput & ſponſus eſt, Paſtoribus, quos ad eandem docendam atque regendam conſtituit, promiſit, ſeſe iiſdem ad conſummationem uſque Sæculi affuturum: Ipſi Eccleſiæ pollicitus eſt ſpiritum ſuum, qui eam doceret omnem veritatem & cum eâ permaneret in æternum: Pro eâ deprecatus eſt, ut in veritate ſanctificaretur, & ejus deprecatio ſuo non poteſt effectu defraudari. Iſta deprecatio non tantùm in gratiam facta eſt Apoſtolorum qui tunc degebant, ſed & pro ipſorum Succeſſoribus, pro Corpore totius Eccleſiæ ac pro ſingulis atque omnibus Membris, quæ huic Corpori unita remanent & in

Matth. 28 20.

Joan. 14. 26.

Ibid. 17. 20.

& in ejus ſpiritûs communione perſeverant: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui in me credituri ſunt per verbum eorum, ut omnes unum ſint.* Iſtis promiſſis, quibus aſſiſtentia perpetua Divini Spiritus ipſi Eccleſiæ aſſeritur, ac proindè neceſſitas illius Definitionibus obtemperandi, cùm illa prærogativâ gaudeat, quod futurum nunquàm ſit, ut poſſint portæ Inferi adversùs eam prævalere, quemadmodùm etiam dicit J. Chriſtus. Matth. 16.18.

2. Inter veritates, quæ pertinent ad Religionem, quaſdam diſtinximus, quæ fide atque ratione nobis ſimul innoteſcunt. Quales ſunt veritas exiſtentiæ Dei, veritas immortalitatis Animæ & plurimæ aliæ, quæ nec ipſos Philoſophos Ethnicos effugerunt. Quoniam verò veritates ejuſmodi revelatæ fuerunt, atque eaſdem habemus ex autoritate infallibili, cui nulla ſubeſſe poteſt erroris circumventio, iiſdem debemus adhibere fidem & obſequium independenter à demonſtrationibus, quas mens humana circà eas conficere poteſt, aut repugnantiis, quas exiſtimaret in iis occurrere. Ipſam fidem oportet ducem rationi ſemper præeſſe in conſiderationibus, quibus iſti permittitur ejus generis veritatibus probandis, confirmandis atque dilucidandis incumbere. Si contingat, mentem in ſecum perpendendis ejuſmodi veritatibus aberrare,

ſedulò proſpiciendum, ut eadem luminibus revelationis in rectum tramitem ſtatim reducatur. Quod infallibili Divini verbi autoritate fulcitur, nobis debet videri infinitè certius, quàm quod ſibi tantummodò vindicat præſumptæ cujuſdam evidentiæ, quæ ſæpè ſæpius errori ac delirantis animi figmentis obnoxia eſt, fundamentum. Quod falſum eſt ex principiis fidei, tanquàm omninò falſum eſt conſiderandum ac rejiciendum, quanquàm nihil ſuccurreret humanæ rationi, undè poſſet iſta falſitas evinci, aut licèt etiam ipſa ratio falſitatem iſtam ſub ſpecioſâ quàdam atque fallaci ſpecie veritatis nobis obtenderet.

Quibus tanti mométi principiis, quia Chriſtiani quidam Philoſophi eâ, quâ par erat, animi religione non ſatis inſtiterunt, ſuo quocum propriis ancillabantur animi luminibus, nimio ſtudio præcipites in errorem abierunt. Scilicet voluerunt, ut ſic loquar, rationi tribunal erigere, quod eſſet ab ipſius fidei tribunali prorsùs independens, & quaſi veritas poſſet veritati unquàm adverſari, eò usque temeritatis progreſſi ſunt, ut rem eandem aſſererent, poſſe ſimùl eſſe & veram juxtà Theologiæ principia & falſam juxtà ea quæ Philoſophiæ propria ſunt. Quod paradoxum Leo X. in Petro Pomponacio condemnavit ſuâ Bullâ, quæ à Concilio

cilio Lateranenſe V. approbata eſt: Philoſophus ille qui Peripateticorum Placitorum erat ſtudioſus fautor, ſuſceperat ex principiis Ariſtotelicis probandum, animas Hominum eſſe mortales; Quam concluſionem in trutinâ rationis ſuſpenſam contendebat veram eſſe, quanquàm eandem falſam fateretur, ſi de eâ pronunciaretur ex principiis Doctrinæ Chriſtianæ. Equidem me non latet, quoſdam Autores extitiſſe, qui voluerunt Pomponacium ab omni erroris labe purgare, ipſius propoſitioni ſubjiciendo benignam intelligentiam: At Gaſpardus Contarini ejus Diſcipulus ſub eodem tempore eum impugnavit in Tractatu, quem de immortalitate animæ ſcripſit, & primus incepit falſas atque periculoſas palàm facere, quæ ex ipſius opinione tanquàm ex peſſimo contagioſoque fonte profluunt, conſecutiones.

Temerariæ adeò tamque audacis opinionis conſectaria Lateranenſe Concilium judicavit, eſſe quàm citiùs comprimenda ſolenni ejuſdem comdemnatione: Eos quoſcumque qui poſteà ipſi opinioni ſuffragabuntur ac eam ſuſcipient defendendam, *per omnia, ut deſtabiles & abominabiles hæreticos, & infideles Catholicam fidem labefactantes labe, vitandos & puniendos fore decrevit* S. Concilium; Et hæc eſt, quam adjungit, iſtius Decreti ratio, (Concil. Lateran. V. ſeſſ. 8.)

Cùm

Ibid. ſeſſ. 8. tom. 14. Concil.

Cùm verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falſam definimus.

Concilium, quemadmodùm patet, non eundem anthoritatis gradum attribuit fidei & rationi, neque utriuſque lumina in librâ pari reponit: Non ait, quod videtur intellectui noſtro evidenter verum, eo ipſo principiis fidei neceſſariò conſonare; Sed decernit, quod nobis videtur habere veri ſpeciem, neceſſario falſum eſſe, cùm principiis fidei certò certiùs contradicit. Atque ita exigit & meritò prorsùs, à nobis primas deferri ipſi certitudini, quæ ex divinâ revelatione oritur, ipſamque priorem ac potiorem nobis eſſe certitudine, quæ nonniſi ex humanæ mentis ratiocinio derivaretur.

Tract. Theol. Pol. 14. & 15.

Ab eâ veritate Benedictus de Spinoſa multò magis quàm laudatus Pomponacius, etiam deflexit, cùm nempè contendit in ſuo Tractatu Theologico Politio fidem non adhibendam ut normam, ad quam ratio accomodetur, neque viciſſim ad rationis apices eſſe componenda, quæ fidei ſunt: In eo periculum idem intereſſe hallucinandi, ſi quis aut rationem ad ſcripturam, aut ſcripturam ad rationem exigere intendat: ſuum unicuique & rationi & fidei competere imperium diſtinctum, utrumque à ſe invicem omninò ſejunctum & prorsùs inde-

pen-

pendens: Philoſophiæ pro objecto unicam dari veritatem, fidei verò ſolam pietatem & cœcam obedientiam; Ac tandem inter dogmata, quæ fides proponit, plurima occurrere, quæ nequidem ſapiant umbram veritatis. Debuiſſet attendere tantæ impietatis Autor, principium, quo fulcit aſſertiones ita fidei contumelioſas, eſſe principium æquivocum & malè intellectum, ex quo temerario auſu conficit falſiſſima. Scilicet ſic ſe habet principium Spinoſæ, & primus fons ipſius errorum: „ Ratio, inquit, Dei do- „ num eſt, lumen cœleſte, quod in no- „ ſtris animis collucet, cuſtos atque de- „ poſitaria veritatis.

In iſtâ primâ propoſitione, quæ cæteris loco eſt principii, plurima ſeſe offerunt ambigua, quæ, quoniam à Spinosâ non expedita fuêre, dederunt occaſionem falſis conſecutionibus, quas ex iisdem educit: Extricemus igitur iſtas ambiguas voces; Indè ſeſe magis prodent & quod principio ſubeſt, venenum, & quæ conſequentibus ineſt, falſitas.

1. Vox *Ratio* æquivoca eſt. Intelligi namque poteſt aut de Ratione univerſali, quæ inſtruit & illuminat omnes Homines, quæ non eſt Ens aliquod privatum, neque creatum, & quæ ob oculos omnium ponitur, ac ſeſe manifeſtat quibuscumque Intelligentiis omnium omninò tem-

temporum atque regionum. Aut ipſa vox ſonare poteſt Intellectum humanum, qui Rationem iſtam univerſalem in conſilium vocat, eandemque ducem ſequitur tùm in perceptionibus, quas concipit, tùm in ratiocinationibus, quas conficit. 2. Vocabulum *veritas* aliquid etiam habet æquivoci : Accipi namque poteſt pro quâcumque generatim veritate, cujus poteſt animus noſter fieri particeps ſive ope revelationis, ſive ipsâ evidentiâ; Aut pro ſolis veritatibus, quas ex ideis claris atque diſtinctis poteſt idem animus ſponte apprehendere. Quibus poſitis, abſque negotio dignoſcitur quidquid & veri & & falſi ineſt principio, quod ſuperiùs poſitum eſt.

1. Verum eſt, rationem, ſi priori ſenſu intelligatur, eſſe fontem, cuſtodem atque depoſitariam quarumcumque veritatum, quæ ad captum intellectûs humani accommodantur, & poſſunt evidentiam recipere; Sed manifeſtè falſum eſt, rationem eſſe fontem, cuſtodem & depoſitariam omnis in genere cujuſcumque veritatis. Quædam etenim veritates poſſunt eſſe ac reverà quidem exiſtunt, quarum Intellectus humanus ſit particeps, & quæ eidem reteguntur ope revelationis atque ex divino verbo, & veritates illæ ſunt, quæ ſub appellatione veritatum fidei paſſim apud Theologos cir-

circumferuntur. Fides ergò eodem jure, quo ratio, veritatis eſt fons, cuſtos & depoſitaria, neque titulis iſtis, excluſâ fide, ratio poteſt inſigniri niſi ex errore evidentiſſimo manifeſtâque prorsùs injuſtitiâ.

2. Si vocabulum *ratio* ſumatur in poſteriori ſenſu, hoc eſt, pro ratiocinatione, quam animus conficit: Verum eſt, poſito quòd ratio ſeſe ſemper rectè dirigeret, eſſet ſemper in conſulendo lumen ſapientiæ æternæ, quo illuminatur aſſidua, duces accuratè ſequeretur luminis iſtius interioris radios, qui lucent in animabus noſtris, & propriæ ſuæ capacitatis Sphæram numquàm excederet, verum eſt, inquàm, tunc futurum, ut ipſa ratio meritò dici poſſet, non quidem abſolutè, quomodo deſignatur in principio, de quo, agitur cuſtos atque depoſitaria veritatis, ſed convenientiùs ac rectius una quædam ex fontibus, cuſtodibus & depoſitariis veritatis. Ipſa, quâ tam frequenter docemur, Experientia tùm in nobismetipſis, iſtam rationem eſſe infirmam atque plurimis obnoxiam erroribus, obſtare omninò debet, ne largiori manu in ipſam hodiè profundantur primarii illi honorificii tituli, quibus per peccatum ecidit. Omni ferè momento ratio iſta tenebris ignorantiæ obſcuratur, indomitis abripitur cupiditatibus, præjudicatarum opinio-

opinionum ſeducitur farragine, ſenſuum impreſſionibus debilitatur & ab objecto abducitur; Quotidiè tandem ex imprudentiâ decipitur vel etiam leviſſimam veri ſpeciem pro certiſſimâ veritate habendo. In iſtâ miſerrimâ, quâ ratio afficitur, ſtatûs conditione iniquè prorsùs ſeſe gereret, qui animo obfirmare velle, nullà adhibitâ diſtinctione, ei honorificam impertiri veritatis depoſitariæ atque cuſtodis appellationem.

In duobus ergò potiſſimùm deficit, quod ſtatuitur â Spinosâ, principium. Ac 1. quidem in eo, quia quod revelationi ex æquo competit, illud efficit ſolius rationis proprium, quòd nimirùm ſit *Dei donum, cæleſte lumen animas noſtras illuſtrans, cuſtos atque depoſitaria veritatis*: Seù, quod in idem recidit, quia rationi attribuit, quòd ſit lumen omnem, quæcumque ſit, edocens veritatem, omniumque, quotquot ſunt, omninò veritatum cuſtos ac depoſitaria. 2. Peccat etiam in eo prædictum principium, quia, nullâ adhibitâ diſtinctione, humanæ rationi generatim defert, quæ nonniſi ſunt propria rectæ rationis, quæ comitem habet ſemper infallibilem ductorem, ab omni præjudicatâ animi opinione liberatur, & ſeſe eximit quibuſcumque inſaniarum atque errorum deliramentis.

Quibus de principio Spinoſæ præmiſſis obſer-

cbſervationibus, ad ipſam nunc eſt progrediendum, quam ex eodem educit, conſecutionem. „ Ergo, pergit allegatus Autor, ratio neque fidei, neque „ ſanctarum ſcripturarum authoritati eſt „ ullatenùs ſubdenda“. Quæ propoſitio vera, aut falſa eſt pro diverſitate notionum verarum, aut falſarum, quas ipſius principio ſubjici poſſe monuimus. Si vocabulo *Ratio* nihil aliud velimus intelligi, quàm univerſalem rationem, ipſumque Divinum lumen, quo omnium Hominum intellectus illuminantur, & iidem informantur ad cognoſcendas ordinis merè naturalis veritates, ſub eo reſpectu verum eſt, fide nequaquàm exigi, in obſequium redigi rationem. In rebus, quæ ſunt omninò Philoſophicæ ſinit fides, propriis ſuis juribus rationem gaudere, neque præſumit ei quidquam oneris imponere. Quæ evidentiâ & ratione veritates innoteſcunt, fidei principiis nunquàm adverſantur: Indè eſt, quòd fides rationi liberum uſum ſuarum omnium perceptionum permittat, propterea quòd nequeant ipſius fidei luminibus contradicere. Verùm enimverò nunquàm poteſt ejuſmodi diſcrepantia fidem inter & rationem verè atque realiter intercedodere: Cùm enim Deus ſit fons omnium veritatum, tùm illarum, quæ evidentiâ manifeſtantur, ipſe ſibi non conſtaret, Ibid.

T ſi

ſi hæc duo genera veritatum, quarum principium eſt, ſeſe invicem deſtruerent. Ipſum verbum Incarnatum, quod eſt Autor & Conſummator fidei noſtræ, nihil poteſt, ſub eo reſpectu conſideratum, docere nos, quod non conveniat & concordet cum eo, quod nobis proponit prout Sapientia æterna eſt atque Ratio Univerſalis. Sed, ſi vox *Ratio* accicipiatur de ratiocinatione humani intellectus, & ratio ſic intellecta, videatur à fide diſcrepare, tunc falſum eſt, ipſam iis, quæ conſtat ad fidem certiſſimè pertinere, non eſſe ſubjiciendam. Quod ſuperiùs demonſtratum eſt. Quod innititur autoritate infallibili, quæ nec fallere, nec falli poteſt, omni remotâ comparatione certiùs eſt eo, quod non aliud ſibi fundamentum vindicat præter teſtimonium errori ac fraudi obnoxium: Atqui veritates, quarum indubitata eſt revelatio, & quæ ipſum componunt objectum fidei, fulciuntur ipſius autoritate Dei qui neque falli poteſt, neque fallere; E contrario veritates, quæ nobis ratione conſtant, hoc eſt, humanæ mentis ratiocinationibus deteguntur, pro fundamento habent unicum duntaxat teſtimonium omni fraudum generi deliramentorumque mille obnoxium figmentis; Ergò veritates fidei multò certiores ſunt ac longè indubitatiores eo, quod ſolius

inni-

innititur fundamento rationis; Ergò, cùm inter utramque veritatum ſpeciem aliquid videtur intervenire diſcrepantiæ, quæ fide deteguntur, iis debent eſſe potiores, quas ſibi videtur ratio apprehendere; Ergò in ejusmodi caſu fides debet vincere rationem, & ipſa ratio in obſequium autoritatis fidei redigi.

Spinoſa, ut defendat ſuum principium, ſic ait: *At ſcripturæ ſacræ potuerunt Hominum perverſitate depravari atque corrumpi; Ut quid iis ipſe meam rationem ſubjiciam?* Quæ quidem objectio nihil efficit quidquam adversùs ea, quæ poſita ſunt principia: Licèt namque concederetur, potuiſſe ſcripturas ſacras depravari, indè conſficeretur ad ſummum hæc conſequentia, nempè priusquàm iis, quæ proponuntur in ſcripturis, animi afferretur obſequium, ipſi animo jus cedere cum attentione conſiderandi, nùm quæ proponuntur, certiſſimè contineantur in Libris ſanctis, aut utrùm iſtorum Librorum textus non fuerit vitiatus atque interpolatus, aut etiam, quod ad rem certo certiùs conducit, an prædicti Libri ſibi præſtentur genuini ac veri autoritate Eccleſiæ, quam perpetua Divini ſpiritûs aſſiſtentia ab omni cujuscumque erroris ſcopulo ſervans incolumen, efficit infallibilem. Quæ conſequentiæ etiamſi admittantur, illud ſemper fixum manet atque inconcuſſum, **Ibid.**

quandò veritas aliqua certiſſimè continetur in ſcripturis ſanctis, & innititur autoritate infallibili, qualis eſt ipſa tùm Dei, tùm ipſius Eccleſiæ autoritas, abſque ullâ tergiverſatione rationem eſſe autoritati ejusmodi divinæ atque infallibili ſubjiciendam, & quotquot circà veritatem eandem ipſi notiones inſunt, illi autoritati cum omnimodo obſequio dimittendas eſſe, quippè quæ non poſſint ejusmodi autoritati contradicere, quin eo ipſo certiſſimæ falſitatis arguantur.

3. Reſtat jam nihil aliud niſi eas attingere veritates, quæ quaſi totidem conſecutiones eliciuntur ex veritatibus, quæ innoteſcunt ope revelationis, Ut autem rectè judicetur de obſequio,quod eſt ejuſmodi veritatibus conſequentibus adhibendum, tres earumdem ſunt diſtinguendæ ſpecies: Conſequentiæ quædam in ſacris Paginis continentur verbis conceptiſſimis expreſſæ; Aliæ verò, quæ ex aliquo fidei Dogmate neceſſariò atque evidenter ſequuntur; Aliæ tandem, quæ obſcuræ ſunt atque à principio remotæ. Primæ requirunt idem prorsùs obſequium, quod debetur veritatibus principalibus, ex quibus fluunt: Cùm enim utraque prædictarum veritatum ſpecies eâdem ratione reveletur, iis debetùr una Eademque fides, idemque eſt deferendum promptum atque omnimodum intellectûs obſc-

obſequium; Quâ de re nulla eſt omninò controverſia. Poteſt verò difficultatis aliquid ſubeſſe circà conſequentias, quæ ex aliquo principio fidei ſola ratione deducuntur. Si fuerint ejuſmodi conſequentiæ claræ, evidentes neceſſariæ ac proximæ, jam partes totidem debent eſſe fidei, & ſub eâ ratione totum obſequium noſtrum ſibi vindicant, modò tamen (quod ſedulò obſervandum eſt) iſtæ conſequentiæ non opponantur neque contradicant alicui alteri veritati revelatæ. Quod aliquandò contingere poteſt. Res ipſa exemplo fiet dilucidior. *Filius Dei factus eſt homo:* Quâ propoſitione fidei veritas aſſeritur. Ergo *Filius Dei factus homo, unum habuit corpus, animamque unam:* In iſtâ aſſertione reperitur conſequentia, quæ proxima eſt, neceſſaria atque omninò evidens; Adeòque ipſa pertinet ad fidem & eâdem ratione credenda eſt quâ principium ipſum, ex quo deducitur. Hæc alia eſt conſequentia, quæ ipſi animo clara & evidens videtur: Et ipſa quidem cum uno fidei principio, quantùm ex primâ fronte judicare eſt, neceſſariam habet connexionem. *Filius Dei factus homo unum habuit corpus humanum:* Ergò *in eo quæcumque reperiuntur, quæ ſunt naturæ corporis humani propria atque inter alia, quòd fuerit ab alio homine genitus.* Quæ conſequentia falſa eſt,

 quia

quia eadem Dei revelatio, quâ docemur J. C. fuiſſe corpore inſtructum, nos etiam ſimùl docet, corpùs iſtud J. Chriſti conſuetæ aliorumque corporum communis legis fuiſſe in ipsâ ſui ipſius origine prorſùs exemtum. Eſt igitur una conſtituta regula, cui neceſſariò inhærendum eſt quantùm ad conſequentias, quæ exiſtimantur ex aliquo fidei principio clarè atque immediatè deduci. In eo verò poſita eſt iſta regula, quòd nimirùm ſedulò obſervetur, nùm revelatio, quæ nobis referat aliquod generale, principium, eidem non appoſuerit quasdam exceptiones. Niſi prædictæ regulæ omninò inſiſtatur, periculum incurritur in plurimos impingendi errores ſive in ratiociniis Theologicis conficiendis, ſive in eliciendis conſecutionibus, quas noſtra mens putaret quàm ſtrictiſſimè cum ſuo principio cohærere.

Occurrit etiam frequentiùs errari quoad conſequentias, quæ eliciuntur ex principiis fidei, quandò ſcilicet obſcuræ ſunt iſtæ conſecutiones atque à principio remotæ. Si quid falſi conſecutiones iſtæ habuerint, quod revelatæ veritati contradicat, eas fides ad ſuum tribunal, ut ita loquar revocat, & quantùmcumque menti videantur evidentes, illa debet cedere, quoniam ab ipsâ fide repr bantur. Si verò nihil eis conſequentiis ſubſuerit

à

à veritate Catholicâ alienum, tunc indè efficiuntur opiniones Theologicæ, circà quas unicuique permittitur eam amplecti partem, quæ ſibi videtur veritati convenientior, adeò ut nota hæreſis iis facilè non inuratur, qui tenent oppinionem oppoſitam, & omnes ex æquo ſint ità affecti, ut, ſi viſum fuerit Eccleſiæ de opinione controverſâ pronunciare, decretis ipſius abſque ullâ tergiverſatione obtemperent.

In iis autem, quæ hîc aſſerimus de diſtinctione Articulorum fide & opinionum Theologicarum, ac de libertate, quæ unicuique relinquitur inter ejuſmodi opiniones eam ſequendi, quæ ſibi videtur veritati mais conſentiens, S. Auguſtinus nobis præiverat. Pelagius, Celeſtius atque Julianus contendebant à ſeſe crimen hæreſeos removere, hæc nimirùm profitendo, Agnoſcimus Baptiſmi parvulis conferendi neceſſitatem, in eo quod ſpectat ad iſtum articulum, quidquid fides docet admittimus: Quanquàm in eo erraremus, quòd non haberemus peccatum originale tanquàm cauſam, ex quâ neceſſitas Baptiſmi conſequitur, non ideò poſſemus ut Hæretici condemnari proptereà quòd error noſter non incidiſſet niſi in articulum, qui nullatenùs pertinet ad fidem, S. Auguſtinus eis oſtendit, eos in eo potiſſimùm errare, quòd

S. Aug. lib. de peccato Origin. contra Pelag. & Celeſt. cap. 23.

quòd exiſtentiam peccati originalis non habeant tanquàm articulum definitum atque ab ipsâ fide traditum : *Hoc autem, undè nunc agimus*, ait S. Doctor, *ad ipſa fidei pertinet fundamenta* Poſtquàm S. Epiſcopus ſic ſepoſuit articulos fidei, quibus præſtandum eſt obſequium, confitetur, alios occurere qui, ſalvâ fidei ſubſtantiâ liberæ diſputationi permittuntur : *Alia ſunt*, inquit, *in quibus inter ſe aliquandò etiam doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalvâ fidei compage, non conſonant, & alius illo de unâ re melius aliquid dicit & verius*. Circà quæſtiones ejuſmodi, quæ non pertinent ad fidem, quâ Chriſtiani facti ſumus, poteſt aut veritas penitùs ignorari, aut ſuſpendi judicium aut etiam aliter ſentiri, quàm oportet, atque ex infirmitate ac præpoſterâ conjecturarum fiduciâ à vero deflecti; Neque tamen idcircò quis hæreticus eſt, quanquàm erret; Ad tribunal rationis, non fidei, eſt ejuſmodi appellandus, ut redarguatur. Ita ferè habet S. Auguſtinus in Libro de peccato originali; *Ubi etſi corrigendus eſt error*, inquit, *non tanquàm hæreſis corrigatur : Et qui correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen hæreticus judicetur.*

Id. l. 1. contrà Julian. cap. 6.

Ibid.

Lib. de peccat. contrà Pelag. & Celeſt. cap. 23.

Quæritur verbi gratiâ, quis ille ſit deliciarum locus, in quo Chriſtiana fides nos docet à Deo collocatum fuiſſe primum

mum Humani Generis Parentem, qui fuerat de limo terræ formatus, & ubinàm terrarum iſte locus poſſit eſſe? Quæritur in quonam loco exiſtant atque reſerventur Elias & Enoch? Dubium nullum eſt, quin etiamnùm vivant & quidem in eodem corpore, quod à nativitate habuerunt: An autem in iſto, vel in alio loco conſiſtant, res eſt prorsùs incerta. *Quis, enim*, pergit S. Auguſtinus: *Non ſentiat, in his atque hujuſmodi variis & innumerabilibus quæſtionibus, ſive ad obſcuriſſima opera Dei, ſive ad ſcripturarum abditiſſimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile eſt & multa ignorari, ſalvâ Chriſtianâ fide, & alicubi errari, ſine aliquo hæretici Dogmatis crimine.*

Res eſſet ſanè peroptanda, quotquot tractandis rebus pertinentibus ad Religionem incubuerunt, iſtorum S. Auguſtini principiorum fuiſſe numquàm immemores, ab iisque illud fuiſſe ſedulò ſemper diſtinctum, quod ad fidem pertinet, aut immediatam ac neceſſariam cum eâdem habet connexionem, ab eo, quod ex eâ non educitur niſi per obſcuras atque remotas conſecutiones, vel ab aliis quibuscumque quæſtionibus, quæ ſunt ab illâ prorsùs diſtantes atque toto cœlo ſejunctæ.

Ex ejusmodi diſtinctionis ſalubri cau-

tione adhibendæ incuriâ, tot viſæ ſunt in omnibus ſæculis promanare controverſiarnm contentiones, quæ eò uſque excanduerunt, ut indè fuerit, excuſſis undequàque animorum omnium ſenſibus, & ſæpè ſæpiùs conturbata pax, & tota peſſumdata caritas: Ut optimis quibusque atque vel etiam addictiſſimis omnium fidei veritatum ſuffragatoribus fuerit infamiæ dedēcus illatum, & iniquâ omninò proſcriptione probroſa hæreticæ appellationis aſperſa labes; Cùm nempè ſub iſtis perturbatis temporibus ſeſe unusquisque contentionum ejusmodi diſſidiis vel ex ſcientiâ, vel ex cœco quodam partium ſtudio immiſceret. Quin etiam eò usque proceſſit in omnibus permiſcendis iſta animi cœcitas, ut contigerit, propugnari tanquàm adorandas, ſacro ſanctas atque revelatas veritates, opiniones, quæ, vel in utramque ex æquo partem poterant agitari, vel erant à fidei principii quàm remotiſſimæ, vel ne leviſſimâ quidem convenientiâ referebantur ad ipſam Religionem. Hoc nimirùm animo non fuit ſatis attentè perpenſum, quòd adhibendo ſcripturas ſacras in impugnandis, vel in defendendis, aut etiam ſyſtemate ordinandis opinionibus, quæ erant merè Philoſophicæ, indè fidei majeſtas everteretur, & impio abuſu ipſa dignitas evileſceret ſacrarum ſcripturarum; Interponen-

do

do Sancti Spiritûs autoritatem in conciliandis, aut confirmandis deciſionibus, quæ pertinent ad Aſtronomiam, Geographiam, vel Phiſicam, eidem ſpiritui ſancto fieret injuria; Ac tandem, quòd detorquendo illuſtrationes, quarum participes Verbum Incarnatum nos effecit, ut nobis eſſent fidei atque morum regulæ, & eaſdem impendendo in diſcutiendas res, quæ nihil conducunt quidquam, ad mores reformandos, neque nos efficiendos virtutis ac boni ordinis ſtudioſiores, iſtarum illuſtrationum uſus omninò perverteretur.

Obſervat S. Auguſtinus, ex ejuſmodi perverſo ſcripturarum ſanctarum abuſu deriſui Impiorum ipſam exponi Religionem. Ii nempè, cùm vident, quæ falſitatis manifeſtiſſimæ convincuntur, ea demonſtrari atque confirmari, ut contenditur ſacrarum Paginarum teſtimonio, eò uſque adducuntur, ut ſibi etiam fingant, omnibus fidei articulis, qui eodem innituntur fundamento, nihil magis ineſſe veritatis ac firmitatis, quàm iſtis aliis omnibus falſis opinionibus, de quarum falſitate ſibi propriâ conſtat evidentiâ.

S. Auguſt. de Geneſi de ad literam. l. 1. c. 19. 1. p. 3. edit. BB.

Ut autem removeantur ac penitùs reſcindantur prædictæ ſcandalorum occaſiones, quibus fidei tantoperè officitur, atque etiam vitentur incommoda, in quæ ſæpè ſæpiùs inciditur, ſive animo im-

perii

perii ipſius fidei proprios ultrà limites extendendi, ſive quia rationi plus quàm decet, attribuitur, neceſſe eſt, quas jàmjàm conſtituimus, regulis ſcrupuloſè prorsùs inſiſti. Nimirùm 1. Ut ipſi rationi dimittuntur quæcumque juris ipſius ſunt, nihil eam autoritate coarctando, niſi in iis caſibus, in quibus, aut quæ fidei ſunt, ſibi arrogaret, aut luminibus revelationis reperiretur adverſari. 2. Ut in iis, quæ nonniſi ex conſequentiis obſcuris ac remotis cum fide connectuntur, liberæ Theologorum diſputationi permittatur quidquid poteſt in utramque partem agitari, & illa pars teneatur, quæ tutior videtur & in Eccleſiâ magis approbatur, expectando ſine ullâ nimiæ contentionis acerbitate, donec Eccleſia ipſa de re controversâ ſupremum tulerit judicium. 3. Tandem, ut perfecto cum animi obſequio credantur & invincibili nullâque de causâ violandâ fidelitate defendantur omnes ſanctiſſimæ veritates, quæ nobis innoteſcunt revelatione, non nimiâ curioſitate eas altius perſcrutari volendo, rejiciendoque dubia, aut captioſas fallaceſque argumentationes, quibus iiſdem attentaret ratio contradicere, quippè ratio ſeſe apertæ intolerandæque prorsùs iniquitatis efficeret manifeſtam, ſi pro-

propria ſua lumina, quæ ſexentis errorum inſaniis obnoxia ſunt, vellet haberi potiora ipſa infallibili Dei & Eccleſiæ autoritate, omniaque, nihil quidquam iſtâ conſideratâ ad propriam ſuam trutinam perpendi & ex ſuo arbitrio dijudicari contenderet.

CAPUT XVII.

Concluſio hujus Tratatûs. Reſponſiones ad Quæſtiones quaſdam, quæ poſſunt inſtitui circà modum detegendæ, annunciandæ, atque defendendæ Veritatis.

DIſſerenda de Veritate plurima prorsùs adhuc ſupereſſent, ſi quæcumque poſſunt ad fecundam immenſamque adeò materiam ſpectare, animo eſſet in hoc Tractatu complecti. Sic fuit ſermo compreſſus, ut ea duntaxat attigerit, quæ præcipua erant, utiliora, atque magis accommodata ad palatum illorum qui proſequendæ ſtudent veritati. Quæſtiones facientes ad quosdam peculiares caſus & longæ rerum enumerationes, quæ controverſiis & alterationibus dare locum potuiſſent, omninò reſecatæ ſunt in eoque potiſſimùm totus animus fuit, ut lumen afferretur principiis, propriaque iisdem adjungeretur probatio, lectoribus dimiſsâ illorum accomodatione. Quod per-

pertinet ad veritates Teologicas, ſola in earumdem ſubſidium appellata eſt inconcuſſa autoritas tùm divinarum Scripturarum, tùm Traditionis, quæ conſtituunt fontes, è quibus Eccleſia ſuas haurit deciſiones. In iis verò, quæ veritatum merè philoſophicarum propria erant principiis luminis naturalis certiſſimis atque exploratiſſimis ipſique evidentiæ potiſſimùm inſtitum eſt. Quædam denique, quæ fuerant Autores aliqui proſecuti fuſiùs, paulò leviùs perſtricta ſunt, atque ſeſe ita res imprimis habuit, cùm locus adeſſe non viſus eſt, aut iis, quæ dixerant, addendi novi quidquam, aut modo nervoſiori majorique verborum præciſiones planas efficiendi eorumdem notiones.

Ut autem noſter hoc Tractatus magis proſit atque procedat omnibus ſuis partibus expletior, iis quæ in eo deſiderari poſſent, eſt adhuc paucis obſervationibus ſupplendum: Quas quidem in ultimo hoc Capite abſolvemus, proprias accommodando reſponſiones ad tria, quæ poſſunt inſtitui quæſita. Nimirùm 1. Circà modum veritatis inquirendæ ejusdemque detegendæ, an ſola literarum ſtudia ſolique humani conatus ſufficiant? 2. Circà rationem ejusdem annunciandæ, an ſermonis ſublimitas oratoriæque eloquentiæ ornamenta ſint adhibenda? 3.

Tan-

Tandem, quoad modum, quo ipſa vindicari poteſt ac defendi, an uſus concedi poſſit ſalis aliquid injiciendi, deceatque ſtilus vehemens & paulò durior ac acerbior?

Prima Quæstio.

An Literarum ſtudia humanique conatus inquirendæ veritati ſufficiant?

Cùm ſeſe dedit in hujus Operis decurſu locus diſſerendi de rationibus inveniendæ veritatis, ſeſe ſermo continuit in principiis tantummodò proponendis in quibus reponi conſuevit methodus rationis rectè dirigendæ in inquiſitione tanti momenti: At ſufficientia nequaquàm videbuntur ejuſmodi principia Philoſopho Chriſtiano. Intimus ille, quem ab ipsâ fide habet, propriæ ſuæ infirmitatis ſenſus & ipſæ tenebræ, quibus intellectus totus obnubilatur, in ipſius uſque medulas evidentiam inducunt neceſſitatis, quæ eum urget, ad Deum recurrendi humili atque ferventiſſimâ deprecatione, quò nimirùm ab illo conſequatur, quod ipſe ſolus concedere poteſt quodque nequit, vel ipsâ conſideratâ ratione, aliundè, quàm ab ipſo ſperari. Cap. 1ri

Neque enim animo fingendum eſt, ut ait

ait S. Auguſtinus, à quoquam homine poſſe alium hominem induci in cognitionem veritatis, Si quidem ipſi reverà ſint idonei vocis ſuæ ſono corporis aures viciſſim pulſare, ſed nihil ipſe ſonus proficiat, niſi intùs adſit, qui cordis auribus interiùs ſonet. *Nolite putare*, inquit S. Doctor, *quemquam hominem aliud diſcere ab homine: Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ, ſi non ſit intùs, qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter.*

Aug. in Joann.

Sed nec minùs hallucinaretur, qui ſibi perſuaſionem induceret, animum noſtrum ipſam eſſe lucem, quâ veritas detegitur *Nolite putare, te ipſum eſſe lucem*, ait laudatus S. Epiſcopus. Nam, ut habet in alio loco, *Munus Dei eſt intelligentia.*

Id. in Pſalm.

Id in Joann. tract. 40.

Iſtis autem principiis neceſſitas innititur ad ipſum Deum omnis veritatis fontem confugiendi, ipſum adeundi Patrem luminum, ipſam appellandi in noſtrum auxilium veritatem eſſentialem, ut ipſa ſui ipſius participes nos efficiat, & ipſi conſequamur intelligentiam. Quùm enim *Deus ſit illa lux intelligibilis,* quæ lucet in animis noſtris, *& in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia*, ut iterùm idem obſervat S. Auguſtinus, nonnè indè jure infertur, eum qui animorum noſtrorum lux eſt, ne lux ipſa luceat in vanum pro nobis, eſſe vo-

Idem l. 1. ſoliloq.

tis

tis ſupplicibus atque quàm ardentiſſimis implorandum ? *Supplexque*, ait laudatus S. Doctor, *illi qui lumen mentis accendit, attendat, ut intelligat.*

Id. contrà Epiſt. fund. c. 33.

Quam veritatem Sapientia Æterna nullo temporis inſtantis ceſſat ſuis ſecretis inſpirationibus in ipſis cordis noſtri interioribus imprimere, ſignificans ſcilicet, cùm ipſa ſit omnium intelligentiarum creatarum principium, ad eam nos eſſe convertendos, quandò quidem ſola poſſit, quæ intelligentiis dat eſſe, easdem, ut ſic loquar, numeris omnibus abſolvere, & quem aptæ ſunt recipere, iisdem addere cumulum ſummæ perfectionis. *Nullo modo ceſſat*, inquit S. Auguſtinus, *occultâ inſpiratione ſvocationis loqui ei creaturæ, cui principium eſt, ut convertatur ad id, ex quo eſt, quòd aliter formata ac perfecta eſſe non poſſet.*

Id. l. 1. de Geneſ. ad Liter. c. 50.

Cùm animus percipit vix poſſe ad veritatem usquè pertingere, quia propter plurimas, quibus impeditur, nodorum difficultates, nimis ardua videtur atque intricata, & eidem ſeſe ſpiſſiſſima tenebrarum nox objicit, hæc tutiſſima eſt ejusdem intelligendæ ratio; quæ tota conſiſtit in oratione: Non ergò conſulendus alter homo queratur, ut doceat, quod videtur propriæ intelligentiæ impervium; Satius eſt ipſum adire Deum Salvatorem noſtrum, ut in eo poſſimus,

 quod,

quod, niſi adjuvante eo, neqnaquàm poſſumus. Cui rationi conſueverat S. Auguſtinus totus inſiſtere in difficultatibus quibus aliquando detinebatur, atque quoſcumque in negotio veritatis laborantes eidem inſiſtere rationi, auctor ipſe eſt
S. Auguſt. Epiſt. 112.c.12. ſequentibus verbis: *Qui hoc videre non poteſt, oret & agat, ut poſſe mereatur: Nec ad hominem diſputatorem pulſet, ut quod non legit, legat, ſed ad Deum ſalvatorem, ut quod non valet, veleat.*

Jamverò nihil S. Doctor in iis omnibus, quæ ex ipſius operibus eo loci allegata ſunt aliud aut ſentiebat, aut ſignificabat, quàm quod Divinus ipſe Spiritus nos docet paſſim in ſacris Paginis ac potiſſimùm in Epiſtolâ S. Jacobi:
S. Jac. 1. 5. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter... & dabitur ei.*

Ipſa tamen veritas ſeſe non rarò prodit iis etiam qui nullatenùs curant ab ipſo Deo, qui principium ejuſdem eſt, poſtulare: Illa, non ſecùs ac ſol, indifferenter oritur atque ſuper Bonos &
Rom. 1. 19. 20. Malos. Quin etiam Philoſophi Ethnici, ipſo ſplendeſcente lumine, quod non aliundè, quàm à Deo venire poteſt, ejus Divinitatem, ſempiternam virtutem, inviſibiles perfectiones, & quæcumque poſſunt ſolâ ratione in eo conſpici, apprehenderunt: Sed in injuſtitiâ detinuerunt

ſunt iſtam Dei veritatem. Veritas iſta nunquàm recipietur eo modo, qui conducat ad ſalutem; Nullaque quæcumque ſit, uſquàm cognoſcetur cognitione, quæ ipſius amorem comitem habeat atque ad ejusdem actus exercendos incitet, niſi miſericordiâ divinâ eam inſpirante. *Ut poſſit homo complacere in veritate neceſſe eſt, ut facta fuerit in eum miſericordia.* Quam miſericordiam non hominis merita conſequuntur, neque humani conatus; Quippè donum ſit divinæ bonitatis, & iſtud donum fructus ſit orationis. 1. p. 3. & 428. f.

Secunda Quæstio.

An Oratoriæ Eloquentiæ Ornamenta conſervi poſſint in gratiam veritatis?

Si ſic eſſet homo conſtitutus, ut animum non gereret à veritate averſum, ſatis foret, eandem ipſi, qualis eſt, abſque ullo fuco offerri, ut ad ejus cognitionem adduceretur & excitaretur, ad eam totis viſceribus amandam. Poſt peccatum totus obſcuratus eſt ejus intellectus: Supina quædam ac craſſa ignorantia veritatum magis neceſſariarum cognitionem aut ei penitùs adimit, aut eaſdem diverſâ omninò ratione ab eâ, quam obtinent, ei repræſentat. Ipſius voluntas tota ſuis iniquis cupiditatibus miſerrimè proſtitui-

tur. Indè fit à veritatibus etiam ſaluberrimis quàm averſiſſimus, & circa eas, quas ſeſe propriùs contingunt, turpiter indifferens. *Nolentibus*, inquit S. Auguſtinus, *ſubintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum.*

S. Aug. de fide, ſpe & caritate. c. 24.

In ejuſmodi tenebrarum atque depravationis ſtatu, ſola J. Chriſti gratia certiſſimè poteſt homini peccatori ſubvenire eâ ratione, quæ ſit ad ipſius neceſſitates accommodata ac tota conveniens: Illa ſola eſt, quæ caliginem ab animo diſpellens, valeat eorum, quæ facienda ſunt, eidem indere cognitionem ſola eſt, quæ voluntatis ejus affectus ad bonum convertens, apta ſit eorum, quorum ipſa cognitionem indidis, amorem excitare. *Gratia, quâ facienda novérimus*, iterùm ait laudatus S. Doctor, ... *Gratia, quâ cognita faciamus.*

Id. l. de Gratiâ Chriſti. C. 12. & 18.

Abſit, ut prædictorum effectuum alteruter aut ſublimitati nerviſque humani ſermonis, aut Eloquentiæ illecebris attribuatur: Produci ſcilicet nequeunt niſi omnipotenti Crucis J. Chriſti virtute; Ipſi totidem ſunt fructus ipſius mortis, ejuſque Paſſionum atque effuſi ſanguinis pretium.

Non obſtat tamen quidquid principiis iſtis veri ac certi ſubeſt, quominùs aſſeramus, poſſe & quidem utiliter impendi in gratiam Chriſtianarum veritatum Oratoriæ

toriæ Eloquentiæ ornamenta. Interior Gratia, quæ animum hominis intùs afficit, ad eundem illuſtrandum & movet ejus cor, ad eidem inſpirandum, quod bonum eſt, ſæpè ſæpiùs imò verò ut plurimùm adhibet miniſterium verbi in incipiendis, fulciendis atque numeris omnibus abſolvendis ac complendis magnis omnipotentiæ ſuæ Operibus. Hoc nimirùm efficit iſtud Divini ſpiritûs animatum verbum, ut infidelis ad fidem adducatur, Peccatori in ipſo ſummæ depravationis puteo demerſo ſalubris incutiatur metus, Juſtus in adimplendis ſuis officiis corroboretur ac confirmetur, & qui à recto tramite deflectit, ad eundem proſperè revocetur. Eſt equidem ipſe Deus ut omnium iſtorum donorum autor conſiderandus, ſed ipſum verbum, quod ille ponit in ore Miniſtrorum ſuorum, conſuevit eſſe loco quaſi canalis cujuſdam, quo mediante ad nos uſque profluunt.

Neminem latet, ab ipsâ Dei voluntate pendere omninò, quòd admirabiliores & potentiſſimi ejus gratiæ effectus annectantur ſermonibus incultis atque ab Oratoriis regulis magis ab horrentibus: Sed ſimùl fatendum eſt, Chriſtianum Oratorem juxtà regulas artis perorantem ac ſeſe ſapienter gerentem, multò magis aptum evadere atque accommodatum con-

filiis Dei promovendis, qui ſupernaturales gratiæ ſuæ operationes involvere amat ſpecie quâdam agendi externâ, quæ tota videtur ipſi naturali ordini conſonare.

In ipſis Eccleſiæ naſcentis exordiis minoris prorsùs neceſſitatis erat, quàm ſub iſtis hodiernis temporibus, uſus humanæ Eloquentiæ. Ipſe S. Paulus aſſerit, à ſeſe eandem nullatenùs adhibitam fuiſſe, cùm Evangelium Corinthiis prædicavit. Scilicet ſigna magna, ſenſibiliores ſpiritûs S. Divinæque virtutis operationes, & prodigioſæ ſanationes, quibus Apoſtoli ſermones ſuos confirmabant, vim plurimam afferebant veritatibus, quas annunciabant: Jam iſta locum non habent, & ſacri qui extant hodiernis temporibus, Evangelii Præcones eâdem prærogativâ non gaudent, Quoniam nunc non agitur de fide barbaras inter & infideles Nationes diſſeminandâ, non opus eſt, Prædicatores dono miraculorum inſigniri: At verò in eo tentarent Deum, ſi ea negligerent in obeundo ſuo Miniſterio ſibi parare, quæ licèt originem ſumant ex humanâ Eloquentiâ, nihilominùs inſtrumentorum loco gratiæ divinæ inſerviunt, quò regnum ipſius in cordibus Infidelium obtineat.

At verò cavendum eſt imprimis, ne cum humana eloquentia tantoperè extollitur,

litur, quæ de verâ intelligenda ſunt, ad ſpuriam & falſam imprudenter detorqueantur, Eſt namque falſa quædam ſpuriaque eloquentia, cujus uſus plurimùm officit veritati, propterea quòd Hominum æquiſſimorum non poſſit eſſe ſaporis: Atque ejusmodi illa eſt, quæ in eorum locum, quæ rationi ſimul ac naturæ comprobantur, ſubſtituit fucatos ſplendores, annominationes in luſu verborum repoſitas, argumentationes longè petitas atque affectam olentes ſubtilitatem, & geſtus numeroſiores, ad artemque magis, quàm ad naturam, accommodatos; Quæ removet ab oratione cogitationes ſolidiores, & probationes perſuadendis animis aptiſſimas, ut eidem nihil aliud immittat, quàm ſchematismos, ſeù figuratas dicendi rationes, vocum concentus, periodos numeroſè cadentes, frigidas anthitheſes, & perpetuas exclamationes. Animo non eſt de larvatâ ejusmodi eloquentiâ quidquam innuere, ſed de eâ, quæ genuina eſt & rationem docet alicujus veritatis juxtà regulas arte conſtitutas tractandæ; Quæ dicenda nec plùs, nec minùs, eâque ratione, quâ dicenda ſunt, attingit; Quæ nunquàm à propoſito digreditur, neque ſinit ab eodem Auditores ſuos aberrare; Quæ nonniſi motus concipit opportunos; Quæ denique animis afferens lucem, inflammans pectora,

vim imaginandi concutiens, invincibili quâdam virtute ſuorum auditorum conſenſum abripit.

Quæ poſterior eloquentiæ ſpecies in Chriſtianis Oratoribus jure nequaquàm reprehendi poteſt, quin ſimùl condemnentur Autores ſacri & excellentiores Eccleſiæ Doctores, quibus ipſa fuit adeò comprobata, ut eâdem uſi ſint ipſi & illius uſum conceptiſſimis verbis aliis etiam commendaverint.

Ipſe S. Auguſtinus inter alios totus eſt in ſuo de Doctrinâ Chriſtianâ libro quarto, in exponendo quâ ratione poſſit uſus Rhetoricæ in gratiam veritatis impendi: Ac primò quidem iſtud vult pro indubitato principio haberi, decere prorſùs Doctrinæ Chriſtianæ Præconem uti oratoriæ eloquentiæ ornamentis. Hæc ipſiſſima ſunt S. Doctoris verba: *Cùm per artem Rhetoricam vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere, adversùs mendacium in ſuis Defenſoribus inermem conſiſtere veritatem. Ut videlicet, illi qui res falſas perſuadere conantur, noverint Auditorem vel benevolum, vel attentum, vel docilem proëmio facere, illi autem non noverint. Illi falſa breviter, apertè veriſimiliter, iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat; Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem, iſti nec vera defendere,*

S. Aug. lib. 4. de Doct. Chriſt. n. 3. c. 2.

nec

nec falſa valeant refutare; Illi animos audientium in errorem moventes, dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter, iſti pro veritate lenti frigidique dormitent. Quis ita deſipiat, ut hoc dicat? Cùm ergò in medio poſita ſit facultas eloquii, quæ ad perſuadenda ſeù prava, ſeù recta, valeat plurimùm, cur non bonorum ſtudia comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali, ad obtinendas perverſas vanaſque cauſas, in uſus iniquitatis & erroris uſurpant?

Neque verò in eo duntaxat S. Auguſtinus conſiſtit, ut uſum Rhetoricæ generatim commendet; Proſequitur præterea omnes ac ſingulas officiorum partes Oratoris Chriſtiani. Ait, ab eo ſedulò eſſe obſervanda, quæcumque adhibenda docent Rhetores, ad perſuadendos Audientes: Duas diſtinguit ſpecies Oratorum, alios quidem, qui norunt loqui ſapienter, ſed non habent eloquii facultatem; Et alios, qui ad utrumque à naturâ informanur. Poſteriores potiores eſſe prioribus aſſerit, quoniam auditoribus ſuis magis proſunt; *Procul dubio plus proderit,* inquit S. Doctor. Vult, priores in ſcientiâ ſcripturarum & in earumdem adhibendis verbis fieri quàm exercitatiſſimos, atque inopiam ſuam ex illo pretioſo ac ſacerrimo fonte eò locupletare magis, quòd ſeſe pauperiores & nudiores experiantur: *Quantò enim ſe pauperiorem ſentit*

Id. ibid. n. 6.

Num. 8.

in ſuis, tantò eum oportet in iſtis eſſe ditiorem. Poſteriorum gratiâ, qui ut ſapienter loqui, ſic etiam eloquenter dicere norunt, explicat omnes Oratoris partes, quæ in tribus iſtis vulgò reponuntur nimirùm doce, delectare & movere: Ipſius Ciceronis veſtigiis ibidem inſequitur, cujus & ipſiſſima verba refert, & eadem principia vocibus tantummodò
Num. 30. mutatis deindè exponens, ait, Chriſtianum Oratorem ita loqui debere, ut audiatur *intelligenter*, *libenter*, *obedienter*; Hoc eſt, ea, quæ dicit, abſque difficultate intelligantur, Audientibus afferant delectationem, & ſic perſuabilia ſint, ut ipſi iis, quæ audierint, protinùs aſſentiantur.

Idem S. Doctor deſcendens etiam ad ſingula, quæ ſpectant Eloquentiam, præcepta, alium locum Ciceronis plurimùm
Num. 34. comprobat in quo magnus ille Romanæ Eloquentiæ Magiſter docet, ut quis veræ Eloquentiæ culmen attigiſſe meritò dicatur, ab eo dici oportere *parva ſubmiſſè modica temperatè*, *magna granditer*.
Num. 24. Imprimis autem commendat in diſcendo perſpicuitatem cui vult ita conſuli, ut ipſius etiam causâ & gratiæ ſermonis & linguæ
Num. 51. integritas aliquandò negligantur: Tradit etiam excellentiora principia de neceſſitate variandi ſtili.

In eodem libro oſtendit, Sacris Authoribus

ribus Eloquentiam non defuiſſe, quod pluribus demonſtrat argumentis ductis ex Prophetâ Amos, ex Epiſtolis S. Pauli, atque ex Operibus Sanctorum Cypriani & Ambroſii: Tandem exemplum refert, ex quo licet arguere, quanta vis inſuerit propriæ ipſius Eloquentiæ. Nempè cùm ſermonem haberet ad Populum Cæſareæ, quæ eſt Urbs Mauritaniæ, ut eos deterreret à vetuſtâ quâdam & barbarâ conſuetudine, quæ in eo poſita erat, ut in certis Anni diebus alii contrà alios pugnarent: „ Tunc mihi viſum eſt, „ inquit S. Doctor, eò uſque me perveniſſe, ut ſermo eos commoviſſet, non „ quidem cùm audivi eosdem mihi loquenti plaudere atque acclamare, ſed „ tùm demùm, quandò adverti eos totos „ in lachrymas effundi; Ex iſtis lachrymis percipere incepi, quantùm in eos „ verba mea roboris habuiſſent. Num. 8. Num. 53.

Et hæc ſufficiunt ad probandum, licere prorsùs & quidem absque ullius juſtæ reprehenſionis metu ipſius eloquentiæ ſubſidium in Chriſtianis Sermonibus adhibere. Plurimi Autores noviſſimis iſtis temporibus aggreſſi ſunt eandem è medio tollere atque reprobare quaſi indignam, quæ Religionis veritatibus annunciandis ſeſe immiſceat: Eamque potiſſimùm ob cauſam fuimus explanandæ ſubjectæ quæſtioni immorati.

Præfat. in Serm. S. Aug.

In eorum verò numerum qui voluerunt eloquentiam è Pulpitis Chriſtianis removere mirum eſt recenſeri celebrem quemdam & ſanè doctrinâ plurimùm præcellentem Sermonum S. Auguſtini Interpretem. Ex iis quæ de S. Doctore jamjam retulimus, omnibus datur copia pronunciandi, nùm S. Epiſcopus et ipſius Interpres inter ſe conveniant.

Cognit. ſui ipſius, tom. 5. Annotatione 5.

R. P. Lamy Ordinis S. Benedicti Religioſus notæ prorsùs excellentioris atque magnus Philoſophus, tùm in ſuis Libris *De Cognitione ſui ipſius*, tùm in aliis quibuſdam ex profeſsò ſcriptis, eloquentiam alienam faceret ab iis quæ Religionem contingunt, ſeſe eidem, quantùm ad eum reſpectum, infenſiſſimum etiam hoſtem profitetur. Illuſtriſſimus quidam Eccleſiæ Prelatus & poſtmodùm celeberrimus Rethoricæ Profeſſor in ſeipſos defendendam ſuſceperunt Artem, quæ tantoperè prodeſt veritati. Quod ex noſtro eſt, propoſito nobis videtur feciſſe ſatis, ut ipſius & magnam virtutem & utilitarem plurimam commendaremus.

Tertia Quæstio.

Num in Veritate defendendâ jocus ſale conditus, ſtiluſque fortis atque vehemens poſſint adhiberi.

Cùm reprobantur in ſacris Paginis falſa gaudia, diſſoluti libidinoſique riſus atque immoderatæ ſcurrilitates, ſanè non veniunt in eam juſtiſſimam condemnationem quæcumque mentis hilaritudines neque riſus, quos intellectus & ratio movent ex amore veritatis, ex lumine prudentiæ, atque ex ſapienti judicio, quæ ut in res perverſas ac malas concitant indignationem, ſic ridiculas ac vanas jocum & riſum faciunt. I. De Joco ſale condito. Eccleſ. 2. 2. Luc. 6. 25.

Agnoſcit Propheta Jeremias, quædam occurrere, quæ nonniſi debeant cum joco & riſu excipi; *Vana ſunt opera*, inquit; *& riſu digna.* Plurima tùm in Scripturis Sanctis, tùm in ipſis Excellentiorum Eccleſiæ Doctorum Scriptis paſſim reperiuntur exempla jocorum ſummæ ſapientiæ & magni prorsùs judicii ſale conditorum, qui quidem ex animo caritatis atque ſtudii ardentis principio dictati & inſpirati, veritati exponendæ ac defendendæ eò ſunt aptiores, quod quidquid habet ridiculi aliquis error, totum ſub ſenſibus vividiùs ſubjiciant. Quædam ex ejus- Jerem. 51. 18.

ejuſmodi exemplis hîc referre ſufficiet; 1. Ut ab omni reprehenſione vindicetur uſus iſte qui ut plurimùm veritati magis prodeſt, quàm reconditiſſimæ graviſſimæque abſtruſiorum argumentorum rationes; 2. Ut eidem certus quidam modus certique fines conſtituantur, ne nimirùm degeneret à ſanctitate ſui principii, quod in ipsâ caritate debet totum reſidere, atque deſciſcatur proculque aberret à dignitate ſui propoſiti, quod in aſſerendam aut defendendam veritatem debet tantummodò collineare.

Quandò Deus voluit ob oculos primorum noſtrorum Parentum ponere vanam illam ſpem, quâ deluſi fuerant, & ipſam eorum ſuperbiæ cæcitatem, quâ hoc etiam præſumpſerant, ut ſicut Deos ſeſe ſperarent aliquandò evaſuros, acerrimam prorsùs atque omninò mordaciſſimam adhibuit ironiam, quæ ut eorum inſanæ credulitatis ridiculum vividiùs iis exponebat, ſic iisdem pœnitentiæ ſui erroris efficaciùs incutiendæ erat magis
Geneſ. 3. 22. idonea: *Ecce*, inquit, *Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Habent hæc verba opprobrium acerbum & omninò aſperum, cujus aculeis Deus volebat legis ſuæ infractores pungere, ut dicit S. Chriſoſtomus. Hæc joci ſpecies, ut obſervat in eodem loco Hugo à Sancto Victore, Actus juſtitiæ eſt, cùm

cùm is, adversùs quem adhibetur, promeruit, cur ſic jculariter perſtringeretur.

Nemo neſcit, quâ ratione ſeſe geſſe- 3. Reg.
rit Elias adversùs falſos Prophetas, qnos 18. 20.
Achab in monte Carmeli congregave-
rat: Scilicet hoc omninò neceſſe erat,
quòd Iſraëlitico Populo manifeſta effice-
rentur & infirmitas falſorum Deorum, &
ridicula eorum religio qui iisdem ſervie-
bant. Quamquàm ſolus ex Prophetis
Domini Elias remanſiſſet, atque è con-
trario Prophetæ Baal quadringenti & ℣. 22.
quinquaginta viri eſſent, non tamen ex-
territus fuit tantâ multitudine, cui &
Princeps & Populus patrocinabantur,
ipſeque eos omnes in ruborem dedit, non
tantùm Miraculo, quod iisdem conſpi-
cientibus perpetravit, ſed etiam quàm
plurimo riſu cavillando vanas eorum at-
que nullius virtutis ſuperſtitiones „Invo- ℣. 26.
„ cabant nomen Dei ſui Baal, ut accerſe-
„ rent ignem ſuper ſacrificium, quod
„ paraverant: Sed Baal nihil ipſis repo-
„ nebat, nec erat vox neque qui reſ-
„ ponderet, quamdiù identidem tranſi-
„ liebant Altare, quod fecerant.“ *Cùm-
que jam eſſet meridies illudebat illis Elias,
dicens: Clamate voce majore, Deus enim
eſt, & forſitam loquitur, aut in diverſorio
eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut ex-
citetur.*

Eſt

S. Greg. Moral. lib. cap. 15.

Eſt omninò laudabilis ejuſmodi deriſus, inquit S. Gregorius Magnus; Irriſui ſanè debebant & meritò quidem eſſe delirantes iſti falſi Prophetæ Baal, qui ignorantiâ Populorum abutêbantur, ut eos ridiculo cultui Idolorum inſenſibilium atque in animatorum addicerent.

Sic etiam eâdem ratione plurimùm riſit Babylionorum Rege atque jocatus eſt Daniel in dolum quemdam craſsâ omninò minervâ adinventum, quo Princeps iſte jamdudùm deludebatur à Sacerdotibus Belis; Et ait Daniel arridens: *Ne erres Rex, iſte eſt enim intrinſecus luteus, & forinſecus æreus, neque comedit aliquandò...... Et riſit Daniel, & tenuit Regem, ne ingrederetur intrò*, & *dixit*; *Ecce pavimentum, animadverte, cujus veſtigia ſint hæc.*

Dan. 14. 6. & 18.

Ipſa autem æterna Sapientia dici meritò poteſt iſtorum deriſuum atque jocoſorum dicteriorum exemplar, ſiquidem teſtificetur, futurum aliquandò, ut in Imiorum interitu rideat atque ſubſannet eos, cùm nimirùm id, quod timebant, iis advenerit. Quin etiam impellit Juſtos, ad ſeſe eâdem ratione gerendos ergà Peccatorem Videbunt *Juſti & timebunt*, inquit Rex Propheta, *& ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce Homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.*

Proverb. 1. 26.

Pſalm. 51. 8.

Ex ejuſmodi ſalis verborum adhibendi uſu, quem patet in ipſiſmet Sanctis Scripturis

turis ſuum habere fundamentum, excitati aliquandò fuere Sancti patres, ad eundem ſibi vindicandum non tantùm in privatis Epiſtolis, quas ſcripſerunt, ſed etiam in Operibus gravioris momenti, quæ palàm evulgarunt. Scilicèt non iis viſum eſt, in eo quidquam occurrere, quod vel ſui Characteris dedeceret dignitatem, vel ipſam Caritatem poſſet ullatenùs lædere, ſi quorum errores impugnabant, eorum vanitatem ejus generis verborum aculeis retunderent, atque eâ ratione eorum falſa dogmata, exceſſus, vel etiam ſycophantias, in ore atque oculis omnium deridenda traducerent.

Cujus rei ſeſe probationes offerunt prorsùs plurimæ, quas eò loci referre facillimum eſſet. Norunt omnes, quàm accerrimus S. Irenæus fuerit in Gnoſticos, quantoſque verborum aculeos S. Hieronymus conjecerit in ſuis Epiſtolis adversùs Jovinianum, Vigilantium, atque Rufinum. Quin etiam Sancti Baſilius, Auguſtinus & Bernardus, licet aliundè ſummæ omninò gravitatis atque auſteritatis viri, poſſent quoque nobis multa ſubminiſtrare ſubtilium urbanorumque ſalium exempla, quæ nec in ipſis Tertulliani Operibus deſunt, qui totius retrò Antiquitatis fuit Autor frontis conſtrictiſſimæ & omnium ſeveriſſimus.

Ipſe nimirùm advertitur ſæpè ſæpiùs per jocum irridens in ſuâ Apologiâ, quâ Chriſtianam Religionem ſuſcipit defendendam à convitiis, quibus eandem Gentilitas inſectabatur: Jocosè ſatis & quidem lepidiſſimè ludit Romanos eorumque & inanes ſuperſtitiones & criminationes falſas, & in ejusmodi acutiſſimis argutiſſimisque ſalibus, quibus ipſa calumniatio multò ſecuriùs evertebatur, quàm confutatione, quæ fuiſſet ad propoſitum ex profeſsò accommodata, partem eorum reponit, quibus Eccleſiæ patrocinatur.

Sibi ipſi in eâ re conſtitit idem Tertullianus in Libro, quem conſcripſit Catholicæ fidei causâ contrà Valentinianos. Ibi namque eum ſalis adhibendi uſum non tantùm contendit eſſe debere procùl ab omni vituperio, ſed etiam vult, eundem haberi tanquàm regulam generalem, cui potiſſimùm inſiſtant & Doctores & Scriptores Eccleſiaſtici; cùm ita exigunt Argumenta, quibus tractandis incumbunt, & ipſius tùm Juſtitiæ tùm Veritatis amor eosdem urget, ad injùrias, calumniationes, dictaque vel mala facta eorum qui errant, propulſanda.

Unicum duntaxat animo eſt laudati Autoris textum referre, quoniam & cauſam affert, ob quam ſit adhibendus uſus, de quo quæſtio eſt, & ſimùl nos docet pro-

proprios characteres qui debent ineſſe ejuſmodi jocis ac feſtivitatibus, quæ veritas approbat permittitque venire in ſuæ ipſius defenſionem: Sic autem textus ille legitur in Opere quod poſtremo loco citatum eſt. *Congreſſionis luſionem deputa Lector, ante pugnam. Oſtendam, ſed non imprimam vulnera. Si & ridebitur alicubi; materiis ipſis ſatisfiet. Multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriè feſtivitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans; De æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Curandum planè ne riſus ejus videatur, ſi fuerit indignus: Cæterùm, ubicùmque dignus riſus, officium eſt.* Tertul. adverſ. c. 60.

Jamverò duo ſunt in iſtis verbis attendenda, quibus uſus ſalium atque jocorum potiſſimùm comprobatur: Ac primò quidem illud, nimirùm, quòd Juſtitia poſcat, quæ ridenda ſunt, irrideri. Juſtitia autem in eo poſita eſt, quòd ſuum unicuique reddatur. Porrò juxtà Tertullianum nihil hominum vanitati magis debetur, quàm ut jocu lariter perſtringatur; *Vanitati propriè feſtivitas cedit.*

Secundò, quia plurima prorsùs reperiuntur, quæ non poſſent graviter atque feriò confutari, quin indè pondus iisdem accederet: Habet ergò riſus in caſibus ejuſmodi plus efficaciæ, veritatique magis prodeſt; *Multa ſunt ſic digna revin-*

revinci, ne gravinate adorentur.

Tertia etiam poſt S. Auguſtinum poteſt ſubjungi usûs ejusdem adhibendi ratio, quod ſcilicèt Caritatem deceat altiores comprimere ſpiritus ſuperborum, qui nequidem quod in ſuis erroribus ſupinum atque craſſum eſt, apprehendunt. Inconſiderata temeritas, malus dolus & ignorantia ejusmodi mala ſunt, ex quibus ad ſanitatem nequaquàm poteſt homo revocari, niſi eorumdem ei ſenſus vividiſſimus incutiatur. Porrò nihil eſt incutiendo huic ſenſui aptius, quàm benevoli ingenioſique joci, quorum operitas omnium omninò deriſui offert, quod ex animi cœcitate & certo quodam partium ſtudio tanquàm indubitatum habebatur. *Ad hoc confundendi ſunt,* inquit S. Auguſtinus, *ne confundantur in æternum. Hoc ſanè illis bonum & optabile prophetatur: Horum facies ſalubriter impletur ignominiâ.*

Atque ea Caritas potiſſimùm impellebat ipſum Jeſum Chriſtum, juxtà ſanctum Doctorem, cùm Nicodemum paulò nimis de ſe præſumentem repreſſit. *Noverat Dominus quid agebat.* inquit Sanctus Epiſcopus, *Volebat illum naſci ex ſpiritu; Ille magiſterio inflatus erat, & alicujus momenti ſibi eſſe videbatur, quia Doctor erat Judæorum. Deponit ſuperbiam, ut poſſit naſci de ſpiritu. Inſultat tanquàm in docto: Exa-*

S. Aug. Tract. 12. in Joan.

Exagitat ſuperbiam hominis. Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Tanquàm diceret: Ecce nihil noſti, Princeps ſuperbus.

Eſt ergò veri nominis Caritatis actus; quòd eorum frontes feriantur, qui vel ſuis erroribus, vel ſuis moribus depravatis omnibus offendiculo ſunt ac malo exemplo: In eumque finem in eos injiciendæ ſunt certæ ſalium feſtivitates ut eos eorum coram Deo clanculùm pudeat, ex quibus caritas atque veritas ſumunt occaſionem eorumdem rubore ſuffundendorum.

At quoniam aliquis poſſet principiis, quæ poſuimus, intemperanter atque perversè abuti, neceſſe eſt, quæ ſervandæ ſunt in uſu ejuſmodi ſalium ac verborum jocòſorum, regulas omnes præſcribere, atque ſub ipſis Lectorum oculis eò loci colligere: Tres autem ſunt ejus generis regulæ.

1. Verborum feſtivitas ab animo, quem Chriſtiana Caritas agat, potiſſimùm derivetur: Cùm alioquin qui jocum adhiberet, ipſorum quidem Sanctorum exemplo inſiſteret, ſed ab eo, quo inſpirabantur Sancti Spiritu procùl aberraret. Quod iidem tanquàm miſericordiæ opus exercuerunt, poſſet in actum abire vindictæ, atque ex animo infenſiſſimo denique adhiberi. Scilicet eò nequaquàm ſpectandum eſt, ut ex argu-

tiſſimo quodam dicterio aut ingenii lumen eluceſcat, aut privata ſua injuria vindicetur: In eo eſt duntaxat incumbendum, ut S. Auguſtinus docet, quòd actus peragatur caritatis, efficiendo nempe, ut iis, ad quos ſermo dirigitur, illud vitium videatur prorsùs horrendum, ex juſto pudore, quo ille ſuffunditur, qui conſuevit in illud indi cere. *Hæc tu miſericorditer irride, ut eis irridenda & fugienda commendes*, inquit S. Doctor.

S. Aug. lib. 15. contrà Fauſt. c. 4.

2. Jocus, quem hîc animo eſt ab omni juſtâ reprehenſione prorsùs eximere, debet inniti ſolius veritatis fundamento. Sola Veritas gaudet jure eos irridendi, qui ſibi adverſantur, ut ait Tertullianus; Nimirùm *congruit veritati ridere, quia lætans: De æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt.* Mendacio verò nunquàm poteſt ejusmodi deferri prærogativa.

Ut ſuprà.

3. Denique debet jocus urbanus eſſe & ſummæ plenus ſapientiæ, atque veritatem ipſam docens, cui defendendæ adhibetur: Cavendum, ut iterùm obſervat laudatus Tertullianus, *ne riſus ejus (veritatis) videatur, ſi fuerit indignus.*

II. De ſtilo foti ac vehementi.

Supereſt jàm excutienda pars altera quæſtionis, quam nobis propoſuimus; Nempè, *an Veritati defendendæ poſſit adhiberi ſtilus qui ſit fortis atque vehemens?*

Quæ quæſtio ut accuratiùs ſolvatur, ac ſimùl innoteſcat, quid SS. Patres eâ de

de re ſenſerint, primo loco diſtinguenda ſunt duo genera Adverſariorum qui contradicunt veritati, cujus defenſio ſuſcipitur. Vel enim Hæretici ſunt, vel Catholici. Inter Hæreticos verò ſubdiſtinguendi ſunt illi, quos nimia ſui fiducia altumque ſupercilium effecêre ſectarum illarum, quæ à verâ Eccleſiâ diſtrahuntur, Autores atque Anteſignanos; Et illi, quos ſuæ nativitatis infortunium Hæreticis ejusmodi ſectis addixit.

Sunt etiam diſtinguenda duo Catholicorum genera, qui veritati ſeſe declarant infenſos: Alii quippè veritatem impugnant ex eo præcisè, quòd luminibus careant, & inconſiderato zelo abrepti, quod falſum eſt, pro vero habeant; Alii verò veritati contradicunt ex proprii ſui commodi intuitu atque ex motivo cupiditatis.

Pro variis prædictorum Veritatis Adverſariorum characteribus diverſam SS. Patres tenuerunt agendi rationem.

1. Quoad Hæreſis alicujus Inventores qui primi ſignum erroris ſuſtulerunt, & ſuorum Dogmatum falſitati addiderunt ruptionem vinculi pacis atque Caritatis, locum dando unitatis Eccleſiæ ſciſſuræ, SS. PP. ſemper in eos inſurrexerunt cum impetu verborum multò vehementiori atque acriori, quàm ubi rem cum aliis habuêre. Non ignoratur, quibus verbis &

dicteriis S. Policarpus exagitaverit Marcionem unum ex ejuſmodi Hæreſeos Architectis: Te agnoſco, inquiebat illi tanquàm Satanæ primogenitum. Sed neque in eos ſeſe S. Auguſtinus exhibuit moderatiorem, quandò adverſùs eorum impias ac perverſas opiniones ſtilum ſuum exercuit: Ipſe etenim ſentitur eoſdem comparare ad præſtigiatores Pharaonis, ad ſerpentem qui ſeduxit Evam, ad Anti-Chriſtum qui totus eſt in Electis in errorem inducendis, ad Lupos qui per diverticula atque vias non rectas ambulant, ad Cham qui proprio Patri ſuo illudit; Eos appellat filios Concubinæ, quorum Iſmaël figura fuit, ac tandem Milites Dæmonis, quibus utitur ad tela venenata atque letifera in Animas intorquenda.

S. Aug. l. 6. Oper. imperf. contrà Julianum.

Incaluit eâdem ratione zelus cæterorum omnium Sanctorum contrà Hæreſeos Inventores: Ut aliquid ineſt eorum crimini, quod eſt atrocius atque perniciofius, imprimis ſtuduerunt Eccleſiæ Doctores, eos verbis vehementibus atque omni vi argumentorum adhibitâ expugnando, coërcendæ perverſorum illorum Dogmatum contagioni, & horrori, cui debent eſſe fidelibus incutiendo, denudatis eorum intimis pectoribus & ipſis juxtà propriam formam ac notam naturalem expreſſis. *Hæreticorum pravitas*, in-

S. Greg.

inquit Sanctus Gregorius, *zelo rectæ fidei comprimenda.* lib. 5. Ep. 15.

2. Quod ad eos Spectat, qui miſerrimi reperiuntur addici Sectis Hæreticorum, quæ jam obtinent, qui hæreſim quaſi patrimonium quoddam à Parentibus ſuis acceperunt, quique eandem cum lacte Nutricis ſuctam, ut indubitatam veritatem toto corde complectuntur, SS. Patres ſemper exiſtimaverunt, cum iis eſſe & majori indulgentiâ & multò moderatiùs agendum. Eos nimirùm habuêre tanquàm bonâ fide errantes: nec animum hæreticum gerentes, licèt hæreſeos perverſitatibus atque falſis opinionibus imbutos. Quemadmodùm ejus generis Hæretici toti ſunt in inquirendâ veritate, atque ad eandem, cùm ſeſe obtulerit, ſequendam parati, adhibendus eſt plurimus labor, adhibenda plurima quoque patientia, ut in ipſius cognitionem poſſint tandem induci: In documentis autem atque in Oratione potiſſimùm reponuntur rationes tutiores, quibus à præjudicatus ſuis opinionibus animus eorum liber omninò efficiatur. Atque hoc ipſum eſt, quod S. Auguſtinus imprimis commendabat Fidelibus eo quod pertinebat ad Pelagianos & præſertim ad Donatiſtas tunc temporis, cùm colloquia Carthaginis agebantur. *Exhortor caritatem veſtram*, inquiebat Sanctiſſimus Epiſ- S. Aug. ſerm. 357.

X 5 copus,

De laude pacis. copus, *ut exhibeatis illis chriſtianam & catholicam manſuetudinem. Nunc curandis inſtatur, in eoque labor inſumendus cum omni, quâ fieri poteſt, animi conſideratione.... Prorsùs convicium audis? Tolera, diſſimula, præteri; Memento curandum.... Habes quod agas, tolle jurgia, convertere ad preces.* Quibus iiſdem conſiliis conſulebat S.

S. Greg. lib. 3. Ep. 35. Gregorius Magnus Victori atque Columbo Epiſcopis Africæ *Eos*, inquit, *qui à Religione Chriſtianâ diſcordant, manſuetudine, benignitate admonendo, ſuadendo, ad unitatem fidei neceſſe eſt congregare: Ne quos dulcedo prædicationis....ad credendum invitare poterat, minis iidem & terroribus repellantur.*

3. Quantùm ad Catholicos, qui non aliâ de causâ obſiſtunt veritati, quàm propterea quòd luminibus careant, viſum eſt SS. Patribus, cum iis eo modo agendum eſſe, qui præcipitur ab Apo-

Galat. 6. 1. ſtolo S. Paulo his verbis: *Fratres, & ſi quis præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.*

Juxtà præceptum illud Apoſtolicum teſtatur S. Auguſtinus, ſeſe geſſiſſe ergà Vincentium Victorem: Scilicet iſte erat Adoleſcens, qui Donatiſtarum partes deſeruerat, & quàmplurimos aſſeruerat errores, in libro quodam S. Auguſtini confutando. S. Doctor duxit, ſibi neceſſita-

tem

tem incumbere ad eum reſpondendi, quoniam is erat, quem ad verum revocandi ſpes affulgebat: Sed *quantâ potui lenitate tractavi*, inquit Sanctiſſimus Epiſcopus. Quæ quidem honeſta agendi ratio S. Auguſtini ſuo non defraudata eſt effectu: Vincentius Victor veritati tandem ceſſit, & de immutatâ propriâ ſuâ ſententiâ eum, mutationem illam tam feliciter fuerat operatus, fecit certiorem; *Ab eo reſcripta correctionis ejus accepi*, inquit laudatus S. Doctor.

S. Aug. l. 1. Retract.

Idem ibid.

Si huic ſeſe gerendi regulæ religiosè inſiſteretur, cùm ſuboriuntur concertationes inter Autores Catholicos, nihil indè detraheretur Caritati, & veritati plurimùm utilitatis accederet: Error everteretur abſque ne leviſſimâ quidem Errantis offenſione: Vis rationum animos ad veritatem revocaret, nedùm ab eâdem ii removerentur, atque, ut aliquandò contingit, conviciis, contumelioſis dicteriis, ſuperbisque faſtidiis peraceſcerent.

Eſt autem imprimis cavendum, ne in ejusmodi disputationum rixis zelus quidam immoderatus in fanaticum denique deſinat errorem, atque in causâ ſit, cur tanquàm Hæretici habeantur atque vexentur Orthodoxi Authores qui non aliundè peccant, quàm quia ſunt in rebus Religionis acutiores perſpicaciores iis ipſis,

ſis, qui volunt eos reprehendere. Imminet in ejusmodi caſibus periculum, ne, propterea quòd eorum & ſenſus, & verba non rectè accipiantur, iis errores imputentur, quos omninò execrantur; Impugnentur ex falſis conſequentiis, quæ ex eorum principiis perperàm deducantur, ac tandem è Chriſtianâ Societate reſecentur Homines fidei integritate prorsùs Commendabiles, qui eidem Societati ſincero affectu ſtudent adhærere. Quanquàm ejusmodi iniquitas rarò prævaleat, prævalere tamen eandem aliquandò quibusdam Exemplis evincitur: *Rarum eſt hoc genus*, inquit S. Auguſtinus, *ſed tamen Exempla non deſunt*.

S.Aug. de verâ Relig. c. 6.

Unum ex generis iſtius Exemplis S. Gregorius refert, quod eſt notatu digniſſimum. Joannes, Chalcedonenſis Eccleſiæ Preſbyter, hæreſis inſimulatus fuerat: Quos huic negotio laudatus ſummus Pontifex præfecerat, delegati Judices falſis accuſationibus captati fidem præpoſteram habuerunt. Preſbyterum Orthodoxum condemnaverunt, licèt ſe Catholicum eſſe cum ſummâ teſtificatione clamaret, & quanquàm ipſi etiam Accuſatores, à quibus tanquàm Marcianiſta poſtulabatur, quid ejuſmodi hæreſis eſſet, ignorare ſeſe candidè faterentur. Atque reverà tota erat ejus generis hæreſis prorsùs ſuppoſititia, & omninò veri-

ſimile

ſimile eſt, ſub appellatione Marcianiſtarum vel etiam veniſſe Catholicos qui adhærebant Marciano Chalcedonenſis Concilii Defenſori quàm acerrimo.

Ejuſmodi ratio agendi tàm maniſeſtè iniqua S. Gregorio movit indignationem, eâque de re ſcripſit Epiſtolam ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, in quâ ſummum animi ſui dolorem exponit verbis quàm vehementiſſimis: Ipſos, quos delegaverat, Judices arguit tanquàm reos apertæ iniquitatis, qui ſeſe in toto hoc negotio abſque ullo Dei reſpectu geſſerant, quique nonniſi perſonam ipſam optimi iſtius Preſbiteri damnare contenderant, cùm error, cujus inſimulabatur, nihil haberet niſi hæreſeos imaginariæ rationem: Eos reprehendit, quaſi prævaricatores qui contrà propriam ſuam conſcientiam egerant, neque ducem alium fuerant ſecuti, quàm animi malè animati pervertiſſimum affectum. Hæc ipſiſſima Sancti Papæ verba ſubjicimus: *Valdè autem mirati ſumus, cur hi qui in causâ fidei judices contrâ Joannem, Chalcedonenſis Eccleſiæ Presbyterum, à nobis fuerant deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderint, & credere diſtrictè profitendi noluerint; Maximè cùm Accuſatores ipſius, Marcianiſtarum quam commemorabant, hæreſim, undè eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ eſſet, ſe manifeſtâ profeſſione reſponderunt.*

Ex

Ex quâ re evidenter agnoſcitur, quia perſonam ipſius ſine Dei reſpectu non juſtè, ſed contrà animas ſuas ſolâ gravare voluntate tantummodò voluerint.

Sumit autem S. Gregorius ex iſto facto, quod narrat, occaſionem ſtabiliendi principii, quod plurimùm intereſt eſſe omnibus perſuaſiſſimum, & ad quod maximè peroptandum eſſet, ut omnes ſeſe fingerent ſemper cùm inter Catholicos aliquæ ſeſe offerunt circà res pertinentes ad Religionem, concertationes: Ad iſtud verò reducitur hoc principium, Scilicet, eorum, quibuſcum res habetur, ſtandum ingeneu atque ſinceræ confeſſioni. *ſicut hæreticorum pravitas zelo rectæ fidei comprimenda*, inquit Sanctus Papa, *ita veræ conceſſionis eſt integritas amplectenda: Nam ſi credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, Atque errores ex incautâ generantur diſtrictione mortiferi. Et hinc non ſolùm errantes oves ad caulas minimè Dominicas revocantur, ſed etiam intrò poſitæ ferinis dentibus laniandæ creduliter exponuntur. Hoc ergò, Frater ſanctiſſime, ſubtiliter perpendamus, & ſub prætextu hæreſis affligi quempiam veraciter profitentem Fidem Catholicam, non ſinamus; Ne, quod abſit, hæreſim fieri ſub emendationis magis ſpecie permittamus.*

ibid.

4. Si ſic incubuerint SS. Patres in tantoperè commendandis cicumſpectione, prudentiâ, moderatione atque animi man-

ſuetudine, quibuscum ſit agendum cum Catholicis qui vel non aberrant à veritate, vel ab eâdem deflectunt ex imprudentiâ, abſque ullâ malitiâ, atque ex eo potiſſimùm, quòd iis ſubſit ſine lumine animus; Simùl ſenſerunt, ſancto zelo excandeſcendum eſſe; & cum omni acerbitate ſeſe gerendum adversùs eos qui, quanquàm ſint Eccleſiæ Filii, tamen pertinaciter impugnant principia Fidei & ſanioris Doctrinæ Moralis regulas cum eo animo qui totus cupiditate atque cœco partium ſtudio abduci videtur.

Cum Prioribus nonniſi lumine opus eſt, quia non aliud ad ſummum in iis, quàm tenebrarum caligo, venit diſpellendum: Quemadmodùm, quâ laborant, ignorantia nequaquàm voluntaria eſt, non adhibendus in iisdem reprehendendis niſi moderatus animus.

Exigunt multò plus ardoris nimia aliorum de ſe fiducia eorumque & malitia & mala fides; Et quoniam, quem habent, animus obſtinatus ex depravatâ eorum voluntate proficiſcitur, ideò merentur, quamobrem cum minori cautione frangantur.

De ejuſmodi Adverſariis veritatis ſummus Pontifex Celeſtinus loquitur in ſuâ ad Epiſcopos Gallicanos Epiſtolâ, cùm ait, eos eſſe vehementer comprimendos, linquam iiſdem occludendo, quæ adeò inſo-

inſolenter ſeſe exprimit contrà veritatem atque ipſius Defenſores. *Ergò corripiantur hujuſmodi*; inquit laudatus Papa, *Non ſit his liberum pro voluntate habere ſermonem*. Adversùs eos exacuendus eſt ferventis Caritatis aculeus, quoniam eorum animi tumor & elatio non poſſet ſolà manſuetudine ſanari: Neque refert quid quàm, propter pertinaciam morbi ejuſmodi remedium aliquandò ſuo defraudari effectu, quia nullatenùs negligenda eſt medecina, quæ pluribus prodeſt, propter nonnullorum inſanabilem peſtilentiam; *Numquid*, ait S. Auguſtinus, *ideò negligenda eſt medecina, quia nonnullorum eſt inſanabilis peſtilentia.*

Epiſt. Celeſt. Papæ.

S. Auguſt. Ep. 93. ad Vincent. Rogatiſtam. p. 3.

Plurima prorsùs poſſemus exempla referre ſalutaris iſtius ac benevolentis ſeveritatis, quam SS. Patres adhibuerunt adversùs pervicaces Catholicos & veritati rebelles.

S. Auguſtinus egit cum Pelagio ſummâ cum animi manſuetudine, quamdiù locus affuit exiſtimandi, non niſi ex ignorantiâ atque animi lapſu eum peccare: At quandò erupit ipſius animi elatio atque pertinacia, & eò uſque crevit, ut jàm hæreſim inciperet ſapere, licet etiamnùm in Eccleſiâ remaneret, ejus communionis prærogativâ gauderet, atque etiam à quodam Paleſtinæ Concilio fuiſſet abſolutus, S. Doctor exiſtimavit,

mavit, indè futurum, ut ipſius ſuperbia atque animi tumor magis inflarentur, ſi mitiùs cum eo ageretur: Ulcus aperuit, ut faciliùs ſanari poſſet; *Ulcus ſanandum potiùs aperimus*, inquit Sanctus Epiſcopus.

Eſt ſatis compertum, quatâ cum aſperitate S. Hieronymus tractaverit non tantummodò ſchismaticos atque Hæreticos ſui temporis, ſed ipſos etiam Catholicos qui errores aut defendebant aut fovebant, vel atro dente petebant integritatem fidei aut morum Epiſcoporum veritatis accerrimorum Vindicum: In ejusmodi rerum circumſtantis multò magis, quàm in aliis quibuslibet totus zelo fidei abripiebatur atque effervеſcebat. Poſſunt ea conſuli, quæ conjicit adversùs Joannem Epiſcopum Jeroſolymitanum, qui fidei morumque puritatem Epiphanii diffamaverat; *Nos ſumus* inquit, *qui Eccleſiam ſcindimus, an ille qui vivis habitaculum & mortuis ſepulchrum negat, atque fratrum exilia poſtulat? .... Anne ſolus Eccleſia es? Et qui te offenderit, à Chriſto excluditur? Rogo quæ tanta eſt cæcitas? &c.*

S. Hieron. Ep. 38. ad Pammac. ad verſ. Joan. Jeroſol. Edit. BB.

In ea verò agendi ratione Prophetarum Apoſtolorumque atque ipſiùs J. Chriſti exemplum SS. Patres potiſſimùm ſequebantur.

Nunquàm in Evangelio duriorem ſeſe

J. Chriſtus exhibet, quàm ubi rem habet adversùs Phariſæos & Legis Doctores: Super Cathedram Moyſi ſedebant, & fidem, quæ tunc temporis Orthodoxa erat, retinebant. Non ex aliquo errore, neque ex ignorantiâ, ſed animo malo proponebant ſuas objectiones: Poterant, omninò facilè in errorem inducere Populum, apud quem habebantur & ſuâ virtute & plurimâ ſcientiâ commendabiles. Ergò multùm intererat, eos dari in ruborem, ut eâ ratione caveretur, ne aliis obeſſent: Atque eum potiſſimùm ob finem eos cum tantâ verborum aſperitate

Matth. 14. 18. J. Chriſtus reprehendit: *Cur me tentatis Hypocritæ*, aiebat illis. Eos indignabundus circumſpiciebat; *Circumſpiciens eos cum irâ.* Cœcitas cordis eorum ipſi animi dolorem movebat; *Contriſtatus*

Marc. 3. 1. *ſuper cæcitate cordis eorum.* Eos appellat aliquandò Inſenſatos, Doctores cœcos, Serpentes & progeniem Viperarum.

Quibus verbis Judæos inſectatus eſt Proto Martyr S. Stephanus, qui ſpiritu ſancto totus agebatur, qui plenus erat gratiâ, fide, atque Caritate ergà ſuos Inimicos, à quibus fuit lapidibus obrutus?

Act. 7. 51. *Durâ Cervice & incircumciſis cordibus & auribus*, inquit S. Martyr, *vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis, ſicut & Patres veſtri & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænuntiant*

nuntiabant de adventu Juſti, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis: Qui accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Nihil acerbius nec durius quidquam concipi poteſt ejusmodi opprobriis, quæ S. Stephanus Judæis objiciebat: ore in eos durus erat, ſed corde benevolus. *Loquebatur Judæis*, inquit S. Auguſtinus, *ſæviebat & diligebat.* S. Aug. ſerm. 49. de Verb. Mich.

S. Paulus, qui ſeſe noverat omnibus omnia fieri, ut omnes Chriſto lucrifaceret, quique cum Infirmis ipſe infirmabatur, vehementer quoque in eos inſurgebat, qui, quod annuntiaverat, Evangelio pertinaciùs obſiſtebant. Epiſtolam ad Corinthios ipſe ſcripſit, quam Tertullianus appellat fulminantem. Dicebatur, ipſius Epiſtolas eſſe vehementes, & ipſe comminatur, ſeſe, cùm fuerit præſens, talem futurum, qualis in ſuis ſcriptis videtur. Quod autem faciebat adversùs Homines duros, inquietos, audaces & calumniatores, idem præcipit ſuo Diſcipulo Timotheo, ut faciat adversùs quoſcumque Fideles & ipſos etiam Preſbyteros, qui Eccleſiæ erant offenſioni, ac malo exemplo: *Peccantes coram omnibus argue*, inquit, *ut & cæteri timorem habeant.* Hoc etiam idem Tito ſuadet verbis iſtis; *Argue cum omni imperio.* Tit. 2. 15.

Eiſdem animi firmitatis ac zeli ferventis, quibus Prophetæ veteris Legis efferveſce-

veſcebant, S. Gregorius exempla ſimilia narrat & multis laudibus extollit: *In Juſtorum profectò oculis quidquid temporaliter eminet*, inquit S. Doctor, *altum non eſt.... ſeque ipſos per ſpiritalem celſitudinem tranſcendentes, ſubjecta ſibimet intùs videns quæcumque per carnalem gloriam foris tument Undè & nullis contrà veritatem Poteſtatibus parcunt; Sed quos attolli per elevationem conſpiciunt, per ſpiritùs auctoritatem premunt.*

Opus Eccleſiæ ſemper fuit ejuſmodi ſtrenuit ac fortiſſimo zelo animatis veritatis Defenſoribus: Ipſe Deus eſt, qui eos ſuâ omnipotenti Gratiâ tales informat, & ſpiritus ejus qui eos agit atque movet. Omnibus verò omninò Fidelibus hoc officium incumbit, ut viros ejus generis fortiſſimos ac potentiſſimos ab eo qui ſolus poteſt eos ſuſcitare atque ſuſtinere, continuis votis & ferventibus precibus expoſcant.

FINIS.

INDEX

INDEX
CAPITUM.

CAPUT I. *De Veritatis exiſtentiâ, contra Philoſophos Academicos & Pyrrhonios*, Pag. 1
CAP. II. *De exiſtentia, naturâ & proprietatibus Veritatis*, 34
CAP. III. *Variarum, quæ Veritati ſubſunt, ſpecierum diſtinctiones*, 37
CAP. IV. *Definitio Veritatis*, 41
CAP. V. *De vi Veritatis*, 47
CAP. VI. *De Veriſimilitudine & Probabilitate*, 52
CAP. VII. *De inquiſitione Veritatis & mediis quibus ad eam pervenitur*, 91
CAP. VIII. *De eo, quod Hominibus incumbit, defendendæ Veritatis officio, atque pro ejuſdem defenſione quidvis perferendi*, 103
CAP. IX. *Eorum exempla qui vel defenderunt Veritatem, vel eidem defuerunt*, 126
CAP. X. *De cauſis inanibus ac futilibus, quæ prætenduntur, ut onus excutiatur Veritatis forti cum animo ſuſtinendæ*,

 ejuſ-

ejuſdem palàm annuntiandæ, 141
CAP. XI. *De Mendacio, & de iis quæ illud ſequuntur*, 170
CAP. XII. *De verbis æquivocis, reſtrictionibus mentalibus atque quibuſdam aliis vitiis, quæ adverſantur Veritati*, 214
CAP. XIII. *De Jurejurando atque de Perjurio*, 235
CAP. XIV. *De Veritatibus tacendis, quarum occaſione agitur de obtrectatione, de ſecreto atque de circumſpectione*, 240
CAP. XV. *De Veritatibus proferendis*, 251
CAP. XVI. *De Veritatibus, quas altiùs perſcrutari non debemus*, 269
CAP. XVII. *Concluſio hujus Tractatûs. Reſponſiones ad Quæſtiones quaſdam, quæ poſſunt inſtitui circà modum detegendæ, annunciandæ, atque defendendæ Veritatis*, 301

INDEX

INDEX MATERIARUM.

A

Brahamus egreſſus eſt de Patria ut fidem Veritatemque defenderet, 128. Ejuſdem mendacium, 185. à S. Auguſtino excuſatum, 201

Academicorum ſententia, 4. Confutata, 6. Ipſorum Objectionum reſponſio, 12–27

Æquivocationum & reſtrictionum mentalium diſquiſitio, 222–226

Alexander III. vult ut Teſtes audiantur nonobſtante jurejurando adhibito, 253. Decretis rationeque permittentibus, 253–255

S. *Ambroſius* de rebus indifferentibus, 80. In Contractibus detegenda eſt Veritas, 262

Amor privatus ludit animum, 142

S. *Antonii* ardor in Religionis gratiam, 168

Aphraate zelus, 169. Ejuſdem reſponſio ad Imp. Valentem, ibid.

Apoſtoli multa mala perpeſſi ſunt pro Veritatibus Evangelicis, 105, 106, 133. Fugiendo perſecutionem vitârunt, 116

Arceſilai Academici ſententia de Veritate, 3 Quomodo à Carneadis Cyrenæi Syſtemate differat, ibid.

Auctoritas humana Veritates detegit, 23. Et viva voce & ſcripto, 24. Quo in caſu non valeat, 68. Intimum ſenſum cogere non debet 70–72

S. *Auguſtinus* de Veritate immutabili, 35. De menda-

mendacio odio digno, 36. De Veritate ad homines beandos, 37. Contra Veritatis definitionem quandam 44. De Veritatis vi, 48, 49, 50. Contra Academicos, 55. De uſu recepto circa Religionem, 81. Ejuſdem regulæ circa Paſtores perſecutione vexatos, 118-120. De ſcandalo, 155. De mendacii ſpeciebus, 171, 172. Contra faventes quibuſdam mendaciis, 176, 177. Num quibuſdam in occaſionibus liceat mentiri, 178. De mendacio officioſo, 190. De mendacio in genere, 193; 208. Quando tacenda Veritas, 248 De correctione fraterna, 258, 261. De fide, 275, 276. De articulorum fidei diſtinctione, 295-297. De Dei auxilio in Veritatis cognitionem, 304. De uſu Rhetoricæ in gratiam Veritatis, 312-316. De joco, 324. Quâ manſuetudine cum Pelagio egerit, 336

B

S. B*Aſilius* de mendacio, 183. Quando liceat aliquid mali de aliquo dicere, 241

S. *Bernardus* de obedientia Superioribus debita, 74-80. De probabilitate & prudentia, 86-89. De præceptis humanis quæ à Lege Divina diſſentiunt, 122. De ſcandalo, 156, 157

Bleſenſis (Petrus) de pace, 149

C

C*Alumniæ* atrocitas repectu Veritatis, 131 Damnata à S. Scriptura, Conciliis & unanimi totius Eccleſiæ conſenſu, 232-234

Caritas Veritatis declarandæ neceſſitatem aliquando

quando incumbit, 255. Quem in ſcopum, ibid.
Carneadis Cyrenæi Syſtema de Veritate, 3
Carthesii methodus in inquirenda Veritate, 100-102
Caſſianus de mendacio, 184
Chriſtiani tenentur Veritatem inquirere, 95
Quâ perſecutione vexati ſunt, imperante Diocletiano III. quo ſtudio primitivi Veritatem defenderunt, 113
S. *Chryſoſtomus* de Doctorum electione, 86. De mendacio. 183. Quandam fraudem defendit, 209
Cicero de requiſitis in Hiſtorico, 29. De calliditate, 219. De ſervanda in Contractibus bona fide, 262–266
S. *Clemens* Alexandrinus de mendacio, 182
Mendacium prorſus damnat, 212
Clerici obligantur ad Epiſcopos rejiciendos circa errores fidei, 123
Conditio prætextus ut defenſio Veritatis declinetur, 162. Impugnatur, 163--170
Correctio fraterna officium generale, 255, 256
Quomodo à Præpoſitis exerceri debeat, 259
à privatis, 260, 261
S. *Cyprianus* de variis Libellaticis, 108, 109
De inconſulto quorumdam fidelium zelo, 115, 116. Fugam non improbat ſæviente perſecutione, 117

D

Dei veracitas, 19. Ipſe Veritates abſconditas nobis patefecit, 20. Ab ipſo Veritatis cognitio, 304
Diabolus primus Veritatem abſcondidit, 126
Ejuſdem ſycophantia, 127

E

Eleaſar Legis Doctor mordicùs Veritatem defendit, 131, 132
Elias quomodo ſe geſſerit erga falſos Prophetas, 319
Eloquentia utilis eſt in gratiam Veritatum Chriſtianarum, 312–315
Epiſcopis quonam in caſu obedientia non debetur, 123. Quid faciendum cùm errant circa fidem, 124. Quidam qui ſuſtinuerunt vel deſeruerunt partes Veritatis, 139
Euſebius Martyr & Epiſcopus Venellenſis ſimulationem à Patribus laudatam adhibet, 228

F

Facta Hiſtorica quomodo recipi debent, 24-34. A Poëtis ornata, 30
Falſitas quid, 44
Felix III. Papa quid ſcripſerit ad Monachos Conſtantinopolis & Bithyniæ, 270
Fides Evangelii prædicationem ſupponit, 93-95. Bona fides obligat homines ad Veritatem ſibi mutuò manifeſtandam in Pactionibus, 261-269. Eſt ſimplex, 271. Non nimia curioſitate ejus materiæ ſunt ſcrutandæ, 272–277 Quem noſtræ rationis uſum nobis concedere poteſt, 278–282. A ratione accuratè diſtinguenda, 299–301
Firmi Epiſcopi Tagaſtenſis exemplum de ſecreti fide ſervanda, 246
Fuga licita tempora Perſecutionis, 116

G

Gerſon de obtrectatione, 241, 242. In hanc cautiones adhibendæ, 243
Gothfrigus Vindocinenſis de Clericorum Laïcorumve

eumve reniſu adversùs præpoſitorum decreta, 121

S. *Gregorius* magnus de ſcandalo reſpectu veritatis 156. de mendacio 214. de veritatibus à Doctoribus tacendis vel proferendis 250 quomodo agendum erga errantes 330 probe perpendendæ hæreſis accuſationes, 333. 334.

S. *Gregorius* Nazianzenus de veritate 34. quò uſque veritas tuenda ſit, 150-153

H

Hæreſis alicujus inventores vehementer argui debent 327

Hieronymus mendacium abhorrebat 212 quomodo tractaverit Schiſmaticos eorumque fautores, 337

S. *Hilarius* de vi veritatis & fidei 48 de obedientia nobis à Deo præſcripta, 73

Hiſtoricorum officia circa veritatem 125

Hugo à S. Victore quomodo mendacium excuſat 185. in locum Genes. III. 22. 318

Hypocriſis annumeranda mendaciis 228-231.

I

Jacobus à mendacio excuſari non poteſt 186 quomodo à S. Auguſtino excuſatur 201.

Jeremias cur renuerit conſtitui Propheta ſuper Gentes 144. ab eodem juramenti requiſita 237

Jesus Christus præviderat veritatem impugnatum iri 104. Diſcipulos adhortatus eſt ut nihilominus eam tuerentur Ibid. fugam permittit ob perſecutionem 116. pro ſola veritate paſſus eſt 157. ab eodem deſumitur auctoritas in gratiam mendacii 187. S. Auguſtini Reſponſio 202-204. homini peccatori & in tenebris jacenti gratiâ ſuâ ſubvenit 308. Phariſæos & Legis Doctores acriter reprehendit 338

Ignatii

Ignatii animi candor 220. quid de æquivocationibus ſenſeat Ibid.
Innocens XI. æquivocationes & mentales reſtrictiones damnat 220
Jocus ſale conditus 317 ad veritatem tuendam facit 317-325 regulæ obſervandæ 325
Jonas cur exeat at munus prædicandi Ninivitis 144
S. *Iſidorus* Pelusiota de veritatis efficacia 51
Julianus Tyrannus quomodo Milites Chriſtianos à Religione everterit 135 138
Jusjurandum quo Doctores Facultatis Theol. Pariſienſis aſtringuntur 126. eo abutuntur milites Annibalis 219. ex omnibus Legibus in judicium conſtitutum 235. licita & illicita 235-237. 253. requiſita 237. quo in caſu non ſtringat 237-239

L

LAici quonam in caſu de Doctrina conqueri poſſint 123
Legendæ fabuloſæ ſunt narrationes 31
Libellatici quinam 109 damnantur in primitiva Eccleſia 110

M

MAchabæi ſeptem Fratres veritatis partes fortiter tenuerunt 128-130 æque ac ipſorum Mater 130. 131
Maffeus de Ignatii animi candore 220
Malebranchius de veritatum diſtinctione 39
Mendacium odio dignum 36. variæ mendacii ſpecies 171. num poſſit eſſe licitum 173. ſaltem quibuſdam in occaſionibus 178 exempla 185-188 ſpecioſa argumenta quibus tolerantur 188-195 in S. Scriptura prohibetur 198-200
Meſſalianitæ legitimas quaſcunque mendacii ſpecies habebant 173. confutatio 173-177
Militum Juliani lapſus & pœnitentia 135-138.

mili-

militum Annibalis ſimulatio artificioſa 219 à Senatu Romano puniuntur Ibid.
Moſes quâ excuſatione apud Deum uſus ſit ne Pharaonem adiret 143

N

N*Eſtorius* cur in ipſum inſurrexerit Populus Conſtantinopolitanus 120

O

O*Bedientia* cœca damnantur 70-80 à Chriſto 70-72 à Paulo 73. à S. Bernardo 74-80 obedientia ſuperioribus præſtanda impedire non debet quominus veritatem tueamur 157
Obtrectatio quid 241. ejus finis juxta Gerſonem 241-243. cautiones adhibendæ 243. à Deo damnata Ibid.
Opinio quid 53 utri ſtandum inter duas æque veriſimiles 64
Origenes de mendacio 180-182 quomodo licitum putavit 208
Otio affectus non ſuſcipit partes veritatis 141. de quo Terentius 142

P

P*acis* amor eſt prætextus ne veritas defendatur 145. 146 ejuſdem prætextûs confutatio 146-152
Papæ Decreta quonam in caſu rejicienda 124
Paſtorum officium Perſecutionis tempore 117-120 à privato argui poſſunt ſi à fide aberrent 121
S. *Paulus* de veritate & pace 148 ultra potior 149 ſimulationis arguitur 188. quomodo excuſetur 204. 209 in eos qui Evangelio pertinacius obſtinebant vehementer inſurgit 339
Perjurium quotuplici ſenſu accipiatur 237-239 regula hîc obſervanda 239
Perſecutio quomodo fugâ vitanda ſit 116
S. *Petrus* ſimulationis arguitur 188 non ab omni ſimulatione vindicatur 204

Plato

Plato non omnia in dubium revocabat 2. de mendacio 180
Poetæ veritati nocuerunt 30
Pomponatii Philoſophi Peripatetici Syſtêma de animi natura 282. à Leone X. & Concilio Lateranenſi damnatum 283
Præcepta ſunt vel poſitiva vel negativa 257
Priſcillianiſtæ omnia mendaciorum genera tolerabant. 173
Probabilitas quid 54. ejuſdem abuſus 56-58 ejuſdem uſus 57 pro gradu admittenda 53. alias periculoſa 58. 59. quomodo ſequenda 60-62
S. *Proſper* de divina gratia in intimo corde 93
Prudentia quando probabilitati adhæret 86 cur neceſſaria 86-88
Pyrrhonii quamvis veritatem negabant 4. propugnantur 6-10 objectionum confutatio 12-22

R

RAtione verbo Dei fidem adhibemus 21. quomodo diſtinguendum quod ad fidem vel rationem pertineat 2 9 284 Rationis variæ acceptiones 284 288. ejuſdem diſquiſiti contra ſpinoſam, 284-301

S

SCandali metus eſt prætextus qui affertur ne veritas ſuſtineatur 152 Reſponſio 153-157
Scientia quid 53
Secreti violatio quid 240 ſecreti violatores in S. Scriptura damnantur 244. Secreti fides de jure naturali Ibid. Exceptiones 245. exemplum inſigne 246. circa ſigilla appoſita ibid.
Senſus non omnium perceptionum origo 14. 15. quomodo ſunt erroris cauſæ 16 18. ex illis quædam cognitiones hauriuntur Ibid.
Silentium quando adhiberi vel rumpi poſſit 122. 123. aſſenſum valet 113
Simulatio veritati oppoſita 227. artificioſæ ab Ethnicis damnatæ 219. & merita 227. quædam

dam laudentur Ibid.
Socrates quo ſenſu dixit ſe nihil ſcire 2
Solitarii priſtini Orientales ex modeſtia mentiebantur, 195
Sozomenus de ignorantia Populi Alexandriæ 166
Spes minima fore ut veritas ſit victrix adverſus multitudinem vanus prætextus 158
Spinoſa (Benedictus) fidem à ratione disjungit 284. ejuſdem principii confutatio 285-288. conſectaria falſa 289 292
S. Stephanus acriter Judæos inſectatur & objurgat non ſine caritate, 338
Stylus num forti & vehemens veritati defendendæ poſſit adhiberi 226 340. diſtinguendi ſunt Adverſarii 327 vehementis exempla 336-340
Syneſius Epiſcopus Peluſiota de mendacio, 184

T

Tacitus de Principum Hiſtoricis, 28
Tertullianus de veritatis vi, 49 De veritate inquirenda, 56. De fuga tempore ſævientis perſecutionis, 111, 112, 117. De joco adhibenda in uſum veritatis, 322 323
Theodoretus de quorumdam Monachorum zelo 169
Theodorus Studita de modo veritatis tuendæ 151. Adverſus prætextum à multitudinis auctoritate deductum, 160-162 Adverſus prætextum ex ipſo vitæ ſtatu eductum 164. Ejuſdem tituli, Ibid. De proximi ædificatione & ſcandali metu, 165, 166.
S. Thomas de Probabilitatis Quæſtione, 59. De ſcandalo, 153--155. De hypocriſi, 129. Quomodo Miſſionarii veritatem tacere vel annuntiare debeant, 248--251. De reguerdo Prælato, 260

Traditio

Traditio quomodo fidei regula infaillibilis, 32
Traditores quinam, 111

V

Veracitas quid, 45
Viriſimilitudo quid 52. abuſus 54-58. 82-84. uſus 54-60. ejuſdem gradus conſiderandus eſt 58. quomodo ſequenda, 60-65
Veritatis exiſtentia, 5, 10. revelatæ, 20. Lex æterna eſt, 34. Unica, Ibid. Immutabilis, 35. homines beatos efficit, 37. quoadnos multiplex, 37-41. Simpliciſſima, 41. ejuſdem definitio, 42. vis 47-49. quærenda, 92. cur 95-98. quibus modis 99-102. quoniam in caſu defendenda, 114-126 de cauſis inanibus quæ prætenduntur ne annuntietur & ſuſtineatur, 141-170. non aliarum virtutum jura evertit, 240. de veritatibus proferendis. 251-269

FINIS.

AØ1 1453256

Digitized by Google

Digitized by Google